

Weichbild magdeburski w układzie śląsko-małopolskim.

Tekst oficjalny

Commune incliti Poloniae Regni privilegium constitutionum et indultuum publicitus decretorum approbatorumque, ed. Ioannes Lascius, Cracoviae 1506, k. 176–197

Odczyt: Maciej Mikuła

W edycji poprawiono bez zaznaczania oczwiste omyłki typograficzne n/u/v, np. sive w miejsce nietrafnie widniejącego w starodruku sine. Pozostawiona została pisownia ammitto, cittatio.

[k. 176]

Prologus in ius Maÿdeburgense.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen. Hoc opus locatum est supra firmum fundamentum, de quo dicit Apostolus: fundamentum nemo aliud ponere potest, preter id, quod positum est, quod est Christus. Ubi enim Christus fundamentum non est, ibi nullius boni operis potest superesse edificium. Ad invocationem *[a]* summe et individue Trinitatis, exemplum laudabile me compellit et ratio violenta, quia quod a maioribus factum esse dinoscitur, id a minoribus quoque observari debeat. Mos quippe retinendus est fidelissime vetustatis, licet enim non exemplis, sed legibus est iudicandum, verumtamen exemplum aliquis potest sequi maxime, ubi recte factum aliquod intuetur. Ad probandum, sed quod in quolibet principio a gloria Trinitatis debeat auxilium peti, sola ratio sufficere potest, cuiuslibet enim rei potissima pars est principium, et ex iis, que inordinate inchoata sunt, non potest aliquid ordinate agi. Per se patet, qualiter bene et laudabiliter omnia geruntur, si principium fuerit decens et amabile Deo, nam vix bono peragantur exitu, que malo inchoata sunt initio. Quibus omnibus luce clarius appareat, qui *[s]* finis laudabilis a bono dependet principio et tamquam suo maiori subiacet. In quo quidem principio cautius est agendum. Cum enim incepio omnium est gravissima, ne is, qui se putat stare, in foribus delinquat, ad causam causarum, Tu, pro auxilio recurrat, necesse est. Ipsa nanque benedicta Trinitas est, in cuius nomine et consilio omnis actus progreditur. Sic enim ad omnipotentis Dei presidium debemus oculos erigere, ut non in armis sciencie vel eloquentie iaculis confidamus, sed omnem spem et omne propositum erigamus ad providentiam Trinitatis, ipsa enim laborantibus aurem apperit et inclinat, propter quod nos sermo propheticus exhortatur: Apprehendite disciplinam et sapientiam, nequando irascatur Dominus et pereatis de via iusta *[Ps 2,12]*. Felix exhortacio, dulce consilium. Qui enim apprehendit Christum, ut verum fatear, apprehendit summum bonum. Ipse enim est sapiencia, iusticia, veritas, fortitudo, sanctitas. Et qui ignorat sapienciam et Scripturas, Christum ignorare, scripture testimonio, prohibetur. Christus etenim Dei virtus est sapiencia. Ignorantia autem Scripturarum ignorantia est Christi. Iuxta apostolicum: apprehendite siquidem sapientiam, que insipientiam procul pellit, egressus enim unius, alterius operatur ingressum. Cum renunciatur improbitas,

nascitur virtus et cum eycitur superbia, adest humilitas. Et iterum qui sapientiam non apprehendit, improperabitur ei a Domino, et ideo sacerdotio non fungetur [*k. 176v*] et in tenebris ignorantie latitans, mentis oculis excecatus, iustitiam invenire non poterit. Sine qua, etsi ceterarum virtutum in ipso fulgeant radii, pro nichilo tamen reputantur. Ipsa enim iustitia est, que inter ceteras virtutes perfectissima dicitur, que iura omnibus distribuit et ea de causa iustitia appellatur. Illius omnes obedient iudicio. Hec est enim illa virtus laudabilis, que diffinitione nobili diffinitur. Iusticia est constans et perpetua voluntas, ius suum cuilibet tribuens, que concupiscentie conatus sua virtute comprimit, ac desideria refrenat. Cum igitur subiectum libri presentis nullum sit aliud ponere preter ius et iusticiam, felix liber cui tam nobile famulatur subiectum, felix ille vir, inter cuius verba liber iste, sicut mirrhe fasciculus poterit commorari. Merito ergo, qui opus tantum aggreditur, ut librum signatum septem sigillis apperiat, summe Trinitatis auxilium expetet et imploret. Ego, siquidem illud scriptum attendens, quod nemo altiore locum in scholis quibusvis teneat, nisi cui laboris assiduitas et studiorum prolixitas suffragatur, quamvis inter ceteros lectores minimum me reputans et ignorantie mee tenebras non ignorans, excusare me deberem, et cum propheta dicente: a.a.a. Domine Deus, ecce nescio loqui, qui puer ego sum [*Jr 1,6*], quoniam altus est puteus scientie sapientie, et non est cum quo hauriam, quemadmodum mulier Chananea locuta est cum de Dei omnipotentis Filio, qui aquam vivam distribuit et largitur, tamen confisus de misericordia eius, opus presens aggrediar, spem gerens firmissimam, quod de fonte gratiarum suarum ad siccitatem meam rivulum derivando, de pane sue consolationis, ne in via deficiam, buccelam mihi porriget. Sed ne prolixitas, que frequenter parit fastidium, sermonem protrahat in immensum, brevibus iam orationem meam absolvam. Non in armis scientie vel eloquentie iaculis confisus, sed omnem spem, omnem propositum referens ad omnipotentis Dei legis consilium, que lex est omnium naturaliter salus, fundo principium super lapidem angularem, qui est Christus Ihesus, Alpha et Omega, principium et finis.

^a skrót go, wyraz nie występuje w rękopisach

[hasła: prolog]

[1] De electione, iurato, officio et autoritate scabinorum et consulum.

Cesar Otto Ruffus fundavit templum in Maÿdemburg et dedit civibus municipale ius secundum eorum arbitrium et secundum consilium seniorum. Extunc arbitrati sunt, quod eligerent scabinos et consules, scabinos ad diuturnum tempus et consules ad unum annum. Qui tunc iuraverunt et nunc iurant annis singulis, dum eliguntur, ius ac profectum et honorem civitatis custodire et [*k. 177*] agere, quanto cautius et melius sciant aut possunt, cum consilio et iuvamine seniorum. Et hoc non dimittendo ratione amoris, molestie, ire vel munerum, sicut eos iuvet Deus et sancti eius. Consules exponunt suum conventum secundum suum placitum ac voluntatem cum seniorum consensu. Consules etiam habent potestatem iudicandi super quamlibet vacuam

mensuram et pondera iniusta, ac ^[1] choretos iniustos et cuiuslibet cibi et potus mercimonia. Et quicunque hoc violaverit, demeretur tres Sclavonicas marcas, que faciunt XXXVI solidos. Quando consules suum conventum exponunt, extunc quicquid ibi statutum fuerit aut compromissum in isto, quod iuri Divino non contradicit, firmum et inviolabiliter debet observari. Et quicunque violauerit, hoc consules habent agere et iudicare. Et quicunque ad conventum venire neglexerit, cum signum datur per campanam, demeretur sex denarios. Si autem conventus sibi pronunciatus fuerit, demeretur quinque solidos.

¹ na marginesie: de quo supra folio XLVI. *Odrośnik do Statutu warckiego, lecz brak związku z przepisami na k. 46 i k. 46v. Na karcie 45 cztery artykuły grodzkie.*

[hasła: rajca, ławnik, rada, starsi, Magdeburg, cesarz, kadencja, miara, waga]

[2] De penesticis et eorum excessibus puniendis.

Qui penestici vocantur, si in aliquo demerentur vel si in aliquo deliquerint contra statuta civitatis, aut consulum decreta violaverint, si in hoc convicti fuerint, demerentur cutem cum crinibus aut tres solidos. Et hoc arbitrio consulum committitur, quod horum recipere voluerint.

Quando vero penesticus consulum aut civitatis statutum infregerit in communi foro, ita quod cutem cum crine demeretur et cum pecunia hoc redimet, hic manet sine iure et non potest a modo aliquod forum comestibilem absque civitatis aut consulum consensu exercere. Et si alii homines, qui commercium seu fraternitatem habent in foro comestibilem, contra huiusmodi decreta consulum seu civitatis excesserint, super hos oportet emendam dare secundum ius et edictum civitatis, et non potest ulterius aliqua comestabilia vendere, nec communitatem habere seu acquirere absque consensu consulum et civitatis.

[hasła: kupiec, rajca, cech, cena, kara na skórze i włosach, targ, statut, wilkierz, zezwolenie, nawiązka]

[3] De parvis aut iniustis mensuris.

Si metrete aut alie masure parve seu iniuste fuerint et iniuste pense, hoc consules bene agere possunt secundum honorem civitatis aut cum ^[1] XXXVI solidis emendare. Ius enim consulum est civitati sic providere, quod singule emptiones, et in iure mechanici, et pauper populus, valeant sufficere ac sustinere, quod ipsi non efficiantur periuri.

¹ na marginesie: De quo supra folio xlvi capitulum ultimum et folio xcv. Item folio cv. *Odesłanie do ustalania cen w statucie warckim: De fraternitatibus Civitatum et rebus per palatinum et Capitaneum Statuendis.*

[hasła: miara, waga, kara, rajca, nawiązka]

[4] De iudicio bannito magno ter in anno celebrando.

Ille supremus iudex, qui in Maÿdenburg iudicio presidet, hoc est castellanus, [¹] qui sedet tria iudicia provincialia iudicare in anno: unum iudicium in die sancte Agathe, secundum die sanctorum Joannis et Pauli, tertium in octava beati Martini. Si vero deciderit aut evenerit aliquot horum iudiciorum ad diem celebrem aut feriatum, extunc ammisit [k. 177v] suum iudicium. Et si scultetus aut solus castellanus ad iudicium non venerit, quia scultetus castellano primam sententiam debet invenire. Et si scultetus non venerit ad castellanum, extunc X talenta demeretur, nisi legale impedimentum ipsum impediverit, quod probare poterit, ut ius dictaverit.

Quicquid in criminali causae factum seu commissum fuerit quatuordecim diebus ante suum iudicium, hoc castellanus debet iudicare et nemo aliis.

¹ na marginesie: De quo supra folio ccvi De iudiciis, qui tertium in anno celebrandis. *Odesłanie do Zwierciadła saskiego*

[hasła: Magdeburg, sędzia, kasztelan, sądy wielkie, sołtys, przestępstwo, roczek, posiedzenie]

[5] De iudicio castellani seu burgrabii et sculteti.

Stuprum et obsidia, irruenciam domiciliorum iudicat castellanus seu burgrabius [¹] et nullus alter. Sed si castellanus presens esse non poterit, extunc cives eligunt unum iudicem loco castellani, pro excessu manifesto. Pena ad sex ebdomadas solvi debet, emenda post penam ad XIII dies. Recompensa debet solvi ad XII ebdomadas.

Castellani pena et recompensa, que aquisita fuerit in iudicio bannito, debet solvi per VI ebdomadas. Pena castellani scilicet tria talenta, pena sculteti octo solidi.

Quando castellanus surgit et iudicabit, tunc iudicium suum expiravit et statim iudicium sculteti disponit a proximo die ad duas septimanas.

¹ na marginesie: De quo supra folio xiv

[hasła: Magdeburg, burgrabia, zasadzka, podpalenie, napad na dom, kasztelan, sąd, kara sądowa, termin, zapłata, wynagrodzenie]

[6] De legalibus iudiciis sculteti ter in anno fiendis.

Scultetus eciam habet tria iudicia legalia in anno. Unum in die crastino Epiphanie Domini. Secundum tercia feria post conductum Pasce. Tertium feria tercia post festum Sanctae Trinitatis. Post hec disponit sua iudicia continue ad duas ebdomadas. Si dies iudicialis evenerint ad diem celebrem, bene potest ultra unam diem aut duos post diem celebrem iudicium disponere.

Iudicium sculteti nemo potest indicare^a, nisi scultetus solus nec preco, nec suus famulus.

Quodsi scultetus in domo non fuerit et criminale nephas exortum fuerit, cives statuant unum iudicem pro crimine manifesto. Scultetus etiam debet habere legalitatem seu bannum a domino terre et cum eo debet esse infeodatus et verum suum feodum esse debet. Insuper liber esse debet et legittime natus de terra.

^a w druku iudicare, zapewne omyłkowo zamiana ‘n’ na ‘u’

[hasła: sołtys, termin, dzień świąteczny, sługa, wymóg, lenno]

[7] De iudicio vulneratorum, clamore vulnera sua protestantium. Et [de] penis vulnerantium.

Si homo vulneratus fuerit et si clamorem proclamaverit, et si cepit hunc, qui ipsum vulneraverit, et eum usque ad iudicium deduxerit, et si tunc ipsum cum iis, qui clamorem suum audierint, protestari poterit metseptimus, propior est eum vincere, quam ille possit eum evadere. Pro vulnere manum, pro homicidio collum.

Si vulnus profunditatem unguis et longitudinem membra habuerit, et si acquirit homo duellum pro uno vulnere, et si victor fuerit^a, victo /s/ dabit pro vulnere manum, pro homicidio collum.

Sed si quis per fideiussoriam obligat aliquem pro adiutorio ex parte homi/k. 178/cidii statuere et eundem non representat, extunc fideiussor tenetur actori seu querulanti dare plenam recompensam, hoc est XIIIII talenta, et iudici emendam VIII solidorum, istorum nummorum, qui in eodem iudicio et districtu sunt currenti communiter et dantur.

^a w druku oczywisty błąd fugerit

[hasła: zranienie, skarga, samosiód़m, przysięga, współprzysiężnik, bliższość do dowodu, kara ucięcia ręki, kara śmierci, ściecie, rana]

[8] Accusatus de conflictu, quomodo evadere debet.

Si contingit criminale nephas aut conflictus nocte vel in die et si probus homo pro eo accusetur, proprius est evadere metseptimus, quam ille poterit super eum protestari, quia in isto loco conflictus per neminem visus est.

[hasła: przestępstwo nocne, samosiód़m, przysięga, współprzysiężnik, bliższość do dowodu]

[9] De iudicio qualiter hospiti et domestico sit ministrandum. Et quomodo iudicari potest sine testibus.

Nec castellano, nec sculteto scabinus, nec civis tenetur aliquam sententiam extra veros dies iudiciales diffinire, nisi factum manifestum aut vulnera mortalia, aut homicidia, aut furga seu alia criminalia fuerint.

Castellanus et scultetus bene possunt omni die iudicare pro debito, pro quo absque testimonio agitur, nisi civis agat contra hospitem vel hospes supra civem pro debito cum testimonio, de quo alter alteri fassus est, hoc bene potest iudicari sine mora. Et si uni adiudicatur debitum, habet solvere sequenti die, quod tenetur.

Sed hospitem oportet iuramento probare, quod sit alienigena et ita remote domicilium habeat, quod una die ad iudicium venire non possit.

Ille debet esse hospes, qui ultra XII miliaria extra iudicium *[s]* suum domicilium habet.

Et si aliquis alienigena datur per manum in modum pignori, iudex tenetur eum dare ad observandum tamdiu, quo usque se debito expurget iuridice aut illud persolvat.

[hasła: sołtys, kasztelan, wyrok, rana śmiertelna, zranienie, zabójstwo, kradzież, gość, dług, sąd gościnny, mieszczanin, sąd]

[10] De pernoctato vulnere.

Quodsi vir vulneratus fuerit et eodem die iudicium non quesiverit *[s]* et sua querimonia secum pernoctaverit, et qui inculpatum tunc comparuit, evadet eum metseptimus. Sed si tribus iudiciis non comparet, quarto iudicio proscribitur. Ita tamen, si iuste eum cittaverit et super ipsum conquestus fuerit.

[hasła: zranienie, skarga, zwłoka, uwolnienie od skargi, samosiódem, przysięga, współprzysiężnik, sąd]

[11] De iudicio violentie et stupri.

[¹] Stuprum et obsidium et irruentiam domiciliorum burgravius iudicat et nemo alter. Si aliquis irruit super alterius domicilium tempore nocturno aut diurno, temeraria violentia, nulla procedente querimonia, et si in manuali facto deprehensus fuerit cum clamore, et si clamorem cum auditoribus metseptimus suorum vicinorum hoc ostendendo probare poterit secundum iuris exigentiam, malefactor collum demeretur. Si autem manifestum factum non fuerit, extunc propior est evadere metseptimus, *[k. 178v]* quam aliquo testimonio vinci possit.

¹ na marginesie: Supra folio xlv. et folio xciii De articulis per capitaneos iudicandis

[12] De vulnerato multis vulneribus et de evasione coadiutorum.

[¹] Quicunque vulneratus fuerit, si clamore *[s]* proclaimaverit et ad iudicium pervenerit, de quo cunque querulatur, qui praesens fuerit, et si habuerit hos, qui clamorem suum audierint, et quot vulnera habuerit, tot homines potest inculpare. Si autem hii homines comparuerint, duellum in ipsis acquirere potest. Si autem plures iudicialiter infestaverit, quam vulnera habuerit, alii omnes evadent suo iure quilibet metseptimus,

vel quivis sua sola manu pro adiutorio ratione homicidii vel vulneris duellaris, vel mettertius ad hoc, si pro eo cum testibus fuerit impulsatus.

¹ na marginesie: Supra folio xxi capitulum Item si pluries

[hasła: zranienie, skarga, rana, uwolnienie od skargi, samosiódem, przysięga, współprzysiężnik]

[13] De iudicio rei obligate.

Obligat aliquis mercimonia aut alia bona mobilia pro debito ex parte iudicii, et ille pronunciat tribus iudiciis, ut est iuris, et quarto iudicio super eo dominium receperit et appropriatum sibi fuerit, et cognoscentie domini dederit coram iudice et scabinis. Et si iste imposterum ad repetendum sua bona pervenerit, possidens proprietor est suum pignus servare cum scabinis ac iudice, quam ille, qui caret possessione.

Nullus etiam hospes ab alio advena, et e contra, indiget pignus recipere pro debito recognito. Si autem ipsum receperit, extunc ipsum acquirere et prosequi prout alter vir iuridice oportebit, nisi aliter fuisset inter eos ordinatum verbotenus in contractu.

[hasła: zastaw, towary, dobra ruchome, ruchomości, dług, termin, roczek, sędzia, ławnik]

[14] De dotalicio feminarum et provisione earum post mortem mariti.

Si aliquis ducit uxorem et si vir de hac luce decesserit, uxor nihil habet in suis bonis, nisi dederit sibi pro dotalitio aut vite provisionem pro eius vita in iudicio bannito.

Nulla mulier potest vite provisionem, nec dotalitium hereditarie observare. Et cum de hac luce decedit, ad heredes revertitur sui mariti.

Quando autem maritus nihil dederit mulieri in suis bonis, in possessione bonorum sui mariti debet permanere, et pueri sibi necessaria ministrabunt, quo usque in vidualitate et sine marito permanere voluerit.¹

Si vir oves habuerit, has mulier recipiet ad suppellectilem. Et si pueri vellent dotalitium mulieri infringere, servare potest testimonio virorum ac mulierum met septima, qui tunc presentes fuerunt.

Sed deservitum precium et rationabile debitum debeant solvi de bonis mortui viri pre dotalitio, et hoc si mulier fuerit dotata pecuniis in paratis. Si autem dotata fuerit in hereditate propria, tunc suum dotalitium pre aliis debitis iure valeat obtinere. Etiam quivis vir habens mansionem infra ius municipale, ille sue contorali dare potest pro dotalitio suam propriam hereditatem, quam in posse habeat alienandi, et etiam in aliis [k. 179] bonis suis mobilibus in quantum voluerit.

¹ na marginesie: De quo supra folio xxix et folio xlii

[hasła: żona, mąż, wdowa, wiano, sąd wyłożony, uposażenie, gerada, dziecko, współprzysiężnik, samosiódem, przysięga, ruchomość]

[15] De pueris hereditantibus et exhereditatis.

Si vir pueros habuerit, aut mulier, quicunque ex hiis exhereditati fuerint, si moritur vir, hii pueri, qui in hereditate patris sunt, recipiunt bona et non hii, qui exhereditati sunt, sed hereditatem vendere non possunt absque coheredum consensu. Hii pueri, qui in potestate patris mortis tempore fuerunt, si ex iis unus moritur, istius partem dividant inter se equaliter, tam exhereditati, quam etiam domestici.

[hasła: wydzielony, dziedzictwo, spadek]

[16] De infiscacione possessionum.

Quando alicui sua possessio publicata seu infiscata fuerit iuste ac iudicialiter, quotiens exit vel intrat, totiens penam iudici demeretur, ita si publicatio super ipsum rite ac iuste sit acquisita.

[hasła: multka, kara sądowa, konfiskata]

[17] De re possessa per annum et diem iudicialiter.

Quicquid vir dederit sub iudicio bannito et si possessor hoc possedebit pacifice et quiete absque arrestacione et condictione aliqua anno et die, hoc propius et melius obtinere potest cum iudice et scabinis, quam aliquis ab ipso possit exbrigare seu alienare.

[hasła: transakcja, rok i dzień, termin, spokojne posiadanie]

[18] De re possessa per annum et diem iudicialiter.

Quodsi iudex et scabini mortui fuerint, quod tamen bene cum aliis fidedignis ad minus duobus scabinis et quattuor viris probitate probatis testimonio probet, et sic bona sibi donata obtinebit.

[hasła: sędzia, ławnik, świadek, współprzysiężnik]

[19] De legationibus seu donis in lecto egritudinis.

Nemo masculus, nec ulla mulier possunt in loco egritudinis de bonis suis alicui ultra tres solidos dare absque heredum consensu seu voluntate, nec mulier sine consensu mariti.

[hasła: darowizna *mortis causa*, zgoda, żona, mąż]

[20] De hereditate fratre et sorore carente.

Quod si hereditas in fratribus et sororibus defectum habuerit, extunc omnes hii, qui se in linea equali consanguinitatis ostendere poterint, in hereditate succedunt equaliter, sive sint masculi sive femine, ex paterna et materna consanguinitate.

[hasła: dziedzictwo, spadek, siostra, brat, pokrewieństwo]

[21] Qui sacerdos cum sorore debet dividere suppellectilia.

Qui autem in possessione manserit et si bene sacerdos fuerit, tunc suppellectilia recipit et hoc si nulla puella ibi fuerit. Si autem puella fuerit et etiam sacerdos suppellectilia, tunc inter se dividunt equali forma.

[hasła: spadek, gerada, kapłan]

[22] De dono iudicialiter facto.

Quicquid masculus dat in iudicio bannito coram iudice et scabinis, ibi [k. 179v] recipiens dat unum solidum pro doni recognizione, quem recipiunt scabini pro se.

[hasła: sąd wyłożony, sędzia, ławnik, pamiętne, darowizna, transakcja]

[23] De debito necessario iure acquisito et debitore.

Quicunque aliquem coram iudicio pro debito impulsaverit, si debitum coacto iure consecutus fuerit, oportet eadem die solvere et iudex in eo suam penam acquisivit.

Si autem querimonia facta fuerit super aliquem pro debito, de quo fatetur, solvere tenetur infra duas ebdomadas, et si tempore statuto debitor non solverit, extunc iudex in eo suam penam acquisivit. Nihilominus solvere mandat ad octo dies, deinde ad tres dies, tandem die sequenti. Quotiens tunc mandatum debitor adimplere neglexerit, totiens penam suam in eo iudex acquisivit.

Si autem iudici et creditori debitum solvere contempserit, extunc fiscatur sua possessio. Per hoc quolibet conpellitur, quod debitum creditori et pena iudici persolvatur.

Si et possessione caruerit, extunc banno conpellitur, potest quolibet bene comprehendi, ubicunque visus fuerit pro debito et pena. Et quicunque ipsum ultra hoc tenuerit, pena iudici demeretur.

[hasła: dług, skarga, świadczenie, termin, dłużnik, sędzia, mulkta, kara sądowa, wierzyciel, posiadanie, kara]

[24] De volente visitare limina sanctorum seu nundinas et impedito.

Si aliquis ad limina sanctorum aut ad nundinas extra provinciam aut extra limites et terminos ire voluerit, et si aliquis pro debito voluerit impedire, hoc fieri non debet, oportet tunc ius suum coram iudice suo recipere. Et si uni testimonium adiudicatum fuerit, hoc est inducere testes, tunc inducias trinas per duas ebdomadas obtinebit aut ad iudicium proximum, quodcumque horum duorum elegerit.

[hasła: podróż, dług, sąd, termin]

[25] De scabino in iudicio improperato et male tractato.

^a Quicunque scabinum in scampno seu sede iudicali improperaverit aut turpibus verbis obruerit, scabinus lucratur suam emendam triginta solidos, et iudex suam penam, videlicet octo solidos, acquirit. Obruitur autem scabinus, postquam sua sententia diffinita sit et consensus aliorum scabinorum preterierit, extunc omnes emendas acquirunt et iudex penas, et quot emende fuerint, totidem et pene iudici acquiruntur.

^a na marginesie: De quo supra folio XXXII

[hasła: ławnik, ława, obrazka, kara sądowa, mulkta, nawiązka, wyrok]

[26] De probatione concordie iudicialiter facte.

Quando concordia aut diuturni fremitus inter discordantes coram iudicio ordinati fuerint, homo protestari potest cum iudice et scabinis. Quod si scabini mortui fuerint, tunc protestatur cum hominibus fidei dignis, qui eiusmodi iudicio affuerint.

Quicquid scabini protestantur et confirmant, hoc et iudex cum ipsis debet protestari, simul et confirmare. Sed ubicunque ^{k. 180}cordia facta et ordinata fuerit extra iudicum, hoc facilius potest protestari seu probare vir cum sex testibus solus septimus, qui interfuerunt et viderunt concordiam esse factam.

[hasła: ugoda, sąd, sędzia, ławnik, samosiódem, przysięga, współprzysiężnik]

[27] De violatione concordie et non impletione satisfactionis.

Ubi autem concordia et fremitus diuturnus coram iudicio confirmati fuerint et si ipsam violat adversa pars et vincetur, ut ius dictaverit, cum iudice et scabinis, pro vulnere manum, pro homicidio collum.

Si autem contigerit, quod alter eam infregerit, hunc emendare cum recompensa oportet, pro vulnere novem talenta, pro homicidio decem et octo talenta, nisi se possit excusare secundum iuris edictum.

[hasła: ugoda, kara ucięcia ręki, kara śmierci, nawiązka, zapłata, wynagrodzenie]

[28] De tribus exceptionibus, quibus pater eximit filium criminaliter inculpatum.

Et vir quivis filium suum ter potest eximere, quem habet in potestate, coram iudicio pro quolibet crimen capitali tacto sacramento metseptimus secundum ius municipale.

Si autem pater cum filio simul in eodem crimen coram iudicio inculpati fuerint, extunc pater filium eximere non potest, nisi prius se ab eodem crimen se expurgabit.

[hasła: syn, ojciec, zastępstwo, przysięga, samosiódem, współprzysiężnik]

[29] De famulo mercedem suam repetente a domino.

Famulus potest mercedem suam, quam promeruit, quinque solidis probare tacto sacramento mettertius, ita tamen, si dominus voluerit consentire. Si autem dominus velit probare tacto sacramento mettertius, quod sibi solvit, tunc proprietor est evadere, quam famulus obtinere.

Si autem famulus suam merdecem super suum dominum obtainuerit coram iudicio, pro eo dominus nullam penam iudici demeretur, sed famulo eadem mercedem eadem die solvere tenetur indilate.

[hasła: sługa, pan, uwolnienie od skargi, samotrzeć]

[30] De aliquo pro vino et alio potu inculpato.

Si alter alterum pro vino aut alio potu inculpare voluerit, evadet ut pro alio debito, in quo nullum dominium ostendere poterit aut protestari.

[hasła: dług]

[31] De dato dono viro vel mulieri coram iudicio bannito.

Donum, quod viro vel femine coram iudicio bannito datum fuerit, in eo mulier cum sua parte sive dono pro suo arbitrio facere potest absque omni contradictione quicquid ei

placet. Idem potest facere [*k. 180v*] vir cum parte sui doni, quicquid deliberavit, velut et mulier.

Si moritur femina absque herede, ita quod nullum heredem a marito suo percepit, ipsa heredat et sua successoria, seu sua prospera fortuna acquisita super suum proximum naturalem successorem, sive sit masculus sive femina, qui sibi sit paris conditionis. Idem faciet vir illi, qui sibi paris fuerit conditionis.

Insuper omne aurum et argentum non formatum, et omnis siligo, et carnes cum cerevisia, et vino, et panis, que vel quod aut quantum post tricesimum permansit, vel permanserunt, totum cedit heredibus viri et non mulieris, exceptis pulmentariis, de quibus mulier recipit medium partem et heredes viri reliquam medium tollunt partem.

[hasła: darowizna, wiano, uposażenie, żona, sąd wyłożony, sprzeciw, dziedzic, mąż, dobra nabyte, spadkobierca, równy stanem, srebro, złoto, gerada]

[32] Que et qualia ad hereditatem pertinent.

Ista sunt, que ad hereditatem spectant: omnes aurum et argentum non formatum, omnia vasa argentea, et tela, que non incisa aut formata fuerit, aut muliebria vestimenta, et sartagines, que a loco non moventur, et dolia, et vasa distillatoria, et omnia caldaria, excepto caldari magno, in quo liquevit cera, quod spectat ad suppellectilem.

Omne proprium, quod locando possessum est, et omnia arma et omnes gladii, et eciam omnes olle eree ac morsee, et cinguli, bracales, et anuli viri, hec predicta spectant ad hereditatem. Item mense et lavatoria, omnes ciste cum planis cooperientis, et sedilia spectant ad hereditatem. Item pelves cupree et ciste farine, et ciste annonarum, porci, qui in curiis sive in domibus nutriuntur, etiam spectant ad hereditatem. Item omnes porci impinguati spectant ad pulmentaria. Ubi pulmentaria dantur et omnis expensa domestica, que in potestate viri est, tempore mortis, et omnes vacue cuppe, pulvinaria recipit mariti uxor, et non sua cognata proxima.

[hasła: dziedzictwo, spadek, gerada, część obowiązkowa, okrasa, srebro, złoto]

[33] De prima querela duorum contendentium.

Vulnerat unus alterum vitam suam defendendo supra viam publicam, quod ille ipsum percutit aut vulnerat, et si clamore proclaimaverit, et invasor conparet violenter, seu proterve, et conqueritur iudici, et ille non potest, nec audet, pro imbecillitate sui corporis tunc comparare, sed imposterum eodem die compareat et conqueratur iudici et scabinis ostendat, quod [*s*] sua vulnera, et protestatur per hos, qui suum clamorem audierunt, quod initium contentionis sui adversarii fuerit et non suum, et quod ipse

se defenderit defendendo vitam suam, ipse acquirit querimoniam primam. Sed si pernoctabit, hoc fieri non potest.

[hasła: zranienie, zwłoka, obrona konieczna, droga publiczna, sędzia, skarga, uszkodzenie ciała, ławnik, świadek, obwołanie]

[34] De querela non alio idiomate deponenda.

Quodsi duo se vulnerant mutuo in iure municipali, qui ambo processerunt ex stirpe Slavonica et tamen Slavi non sunt, conpareat quod unus et conqueratur in Slavonico idiomate, alterum non oportet sibi respondere, si placet, nisi conqueratur in eo idiomate, quod sibi innatum est per ius municipale.

[hasła: zranienie wzajemne, język słowiański, skarga, odpowiedź na skargę, prawo miejskie]

[35] [k. 181] De querela ex voluntate iudicis et consensu partium per medium arbitrorum concordata amplius iudicialiter non repetenda.

Quodsi duorum querimonie delate fuerint in iudicio bannito coram iudice, de voluntate quoque iudicis et consensus, et partium arbitrio ultrarunque efficiatur, quod inter ipsas concordia extra iudicium debeat terminari, nec ultra causa ipsa iudicialiter est peragenda, se quod arbitri ad hoc electi de causa intromittant concordandi absque iudicio et querimonia amplius iudicialiter non repetenda cum consensu iudicis. Et si alter ex eis suam querimoniam imposterum vellet renovare hanc causam coram iudicio, extunc suus adversarius sibi respondere non tenebitur coram iudicio, si protestari poterit cum iudice et scabinis, quod causa absque iudicio debeat terminari.

[hasła: skarga, sąd, ugoda, zgoda sądu, sędzia, ławnik]

[36] De duobus equaliter mutuo vulneratis, quorum unus coram iudice, alter coram scabinis querelam deponit, quis eorum debeat esse actor.

Quodsi se duo vulneraverint equaliter, ex quibus unus vadat ad iudicem in domum suam, et querimoniam faciat, alter veniet ad quattuor bancos seu scabinos, et conqueratur cum clamore scabinis et iudicio astantibus, et vulnera ostendat, et mittet pro iudice et conqueratur, ipse primam querimoniam obtinebit, si testes habuerit a scabinis aut astantibus iudicio, quod inter quattuor bancos querimoniam fecerit.

[hasła: zranienie wzajemne, sędzia, ławnik, rana, skarga]

[37] De duobus conquerentibus pro vulneribus, quid eorum aliquis demeretur.

Et si duo se mutuo vulneraverint equaliter et querulantur equaliter, quicunque ex eis in alterum duellum acquisierit, tunc eius adversarius manum demeretur. Ita tamen, quod si vulnus monomachale fuerit. Sic quod alter ex eis, antequam duellum acquisitum fuerit, moritur, adversarius collum demeretur.

[hasła: zranienie wzajemne, pojedynek sądowy, kara ucięcia ręki, rana godna pojedynku, kara śmierci]

[38] De vulnerante aliquem in facto recenti cum clamore capto et ad iudicium deducto.

Si quis detinet hunc, qui ipsum vulneravit in facto recenti et ipsum cum clamore ad iudicium deduxit, qui sic queruletur cum prolocutore: „Domine iudex, ego cum querela propono super istum virum, quod ipse [k. 181v] venit intra municipalia vel in strata regia, et in me pacem violavit, et me spoliavit in meo corpore et in meis bonis, meque vulneravit, dum pacem in me confregit. Tunc vidi ego ipsum propria in persona et proclamavi in eum cum clamore, et ipsum captivum huc ad iudicium deduxi, et volo ipsum vincere per eos, qui clamorem meum audierunt, et cum meo testimonio vero, ut ius mihi diffinierit. Et in sententia requiro, quod hoc probare debeam et valeam, ita ut proficiam in iure meo”. Extunc satisdacionem adversarius rectam petat pro hac querimonia, et dicat se de facto innocentem.

Ille autem, qui ipsum captivum in facto manifesto detinuerit, facilius eum vincere potest cum testimonio, quam ipse captivus cum testimonio eum evadere possit. Si, ut iuris est, probaverit testimonio, illi solvet collum, si est homicidium, vel manum, si est vulnus monomachale, ex quo ad iudicium ipsum cum manifesto facto deduxerit.

Pro teste potest quivis vir alteri astare, qui in suo iure non possit argui, excepto patre, fratre, famulo et filio, necnon mercenario. Etiam ullo precio conventi in aliquibus causis non valent contestari, qui eiici iure possunt.

[hasła: zranienie, skarga, gorący uczynek, pełnomocnik, droga królewska, sąd, gwar, zabezpieczenie, niewinność, zabójstwo, kara śmierci, kara ucięcia ręki, rana godna pojedynku, świadek, ojciec, syn, brat, najemnik]

[39] De duobus, quorum unus gladio, alter cultello mutuo se vulnerant.

Quodsi se duo mutuo vulneraverunt: unus cultello et alter gladio, et si vulnera utriusque fuerint monomachalia, ille cum gladio solvet manum, ille cum cultello solvet collum, quia cultellus furtivam infert mortem, et hoc si ambo in recenti actione cum clamore ad iudicium fuerint deducti.

[hasła: zranienie wzajemne, nóż, miecz, rana godna pojedynku, kara ucięcia ręki, kara śmierci]

[40] De vulneris monomachalis et non monomachalis iudicio.

Eciam si alterum vulnerat et causa sua pernoctaverit sibi debet indicis in iudicium proximum. Quodsi vir vulneratus fuerit, vulnus vero non fuerit monomachale, siquidem comparuerit et conquestus fuerit, sibi indicis debet ad iudicium proximum. Si autem vulnus monomachale fuerit, tunc incontinenti sibi iudex iudicium facere debet pro facto manifesto.

[hasła: zranienie, skarga, zwłoka, rana godna pojedynku, sąd, sędzia]

[41] De duobus mutuo vulneratis, quis eorum contra alterum acquirit duellum.

Si duo se vulneraverint et ambo coram iudicio conparent et querimonias proponunt, qui primam querimoniam precellentem protestari poterit, apud suum adversarium duellum acquirit, si ipsum iusto modo salutaverit, siquidem vulnus monomachale fuerit.

[k. 182] Si autem ad diem duellum dilatum fuerit, et si alter pugilem convenerit super alterum, et si protestari poterit, quia [s] pugil sit mercenarius, extunc iure sibi a duello cedere possit.

[hasła: zranienie wzajemne, sąd, skarga, pojedynek sądowy, rana godna pojedynku, odroczenie, pięściarz, zastępca, najemnik]

[42] De occisore cautionato, aliquem in eadem fideiussoria occidente.

Si vulnerat unus vir alterum caucionemque fideiussoriam usque ad iudicium fecerit, iudex quoque ipsis pacem indixerit, si autem ipsum postea occiderit, et fideiussores posuerit eadem pro causa, sic ipse propior est evadere metseptimus de homicidio, quam contra ipsum quis protestari et probare possit.

Si autem coram iudicio comparuerit, et si in iudicio bannito manu pax promissa fuerit coram iudice et scabinis pro primo vulnere, ipsum vero postea occiderit, hoc melius potest super eum protestari, quam ipse evadere possit.

[hasła: zranienie, poręczenie, sąd wyłożony, sędzia, pokój, uwolnienie od skargi, samosiódem, przysięga, współprzysiężnik, zabójstwo, ławnik]

[43] De querelis duorum se mutuo vulnerantium, quorum unus moritur, alter superstes manet.

Si se duo vulneraverunt pariter et ambo coram iudicio compareant et querulose proponant, et querimonie autem usque ad iudicium dilate fuerint.

Tandem is, qui primo querulatus fuerit, moriatur ab iis vulneribus, mortuus ad iudicium portetur, et alter vulneratus etiam comparuerit, et unus de mortui agnatis loquatur super vulneratum cum testimonio sive duello, quia ipse suum affinem occiderit, et pro eo petat iudicium. Extunc si ipse reus petat satisfactionem de iure, ut ostendat innocentiam cum suo testimonio evadendo homicidium. Si hoc, ut iuris est, protestatus fuerit, propior est evadere, quam ille super eum protestari possit, homicidium metseptimus, alias quam protestari et vinci possit. Si autem aliquis agnatus ipsius mortui duellare salutaverit ipsum, tunc pro collo suo respondere oportet. Si autem evadere voluerit cum testibus, extunc testimonium sic debet procedere, quod initium contencionis illius mortui fuisset et non suum. Et si suos testes incontinenti habere non poterit, inducias et terminum trium quindenarum acquiret, ex iis sibi eligat unam quindenam, quamcunque voluerit, in qua facilius potest evadere homicidium metseptimus, quam ille cum testimonio ipsum vincere possit.

[hasła: zranienie wzajemne, sąd, skarga, odroczenie, krewny po mieczu, poręczenie, gwar, zabezpieczenie, termin, bliższość do dowodu, niewinność, zabójstwo, uwolnienie od skargi, pojedynek sądowy]

[44] De damnis cavendis in venditione equi.

Si mas equum vendit, promittere debet in eo equo, quod stabilis non fuerit, ita quod a loco tempore se offerente discedere noluerit, item quod apparens videre non sit cucus, item quod non sit arrestatus.

[hasła: sprzedaż, koń, ewikcja, odpowiedzialność, wada faktyczna, wada prawna]

[45] [k. 182v] De impetitione et arrestatione equi.

Si vero aliquis arrestat equum afferens, quod aliquis sibi eum subtraxerit aut subtractus fuerit vel spoliatus, ad hoc se trahere debet, ut iuris est, videlicet ad suum venditorem, quem nominare debet et iurare tenetur tacto sacramento, quod ad verum se trahat venditorem. Et quocunque nominaverit, ibi eum sequi oportet, non autem ipsum insequi debet ultra Mare Aquilonis. Et tunc ibi qui se revocat ad venditorem, fideiussoriam cautionem faciat, ut satisfaciat iudici pro pena et pro expensis, quas adversarius suus expendit, diem quod nominare debet, quando ibidem pervenire potest. Si autem dixerit, quod in foro communi et libero equum ipsum emerit, extunc suam pecuniam, quam pro eodem dederat, integraliter ammittit, et hoc illi non habuerit hospitem, qui mercipotum benedixit.

[hasła: koń, zastępstwo, kradzież, sprzedaż, ewikcja, przysiega, odpowiedzialność, sąd, poręczenie, pieniądze]

[46] De fure diei et noctis.

Si fur clara dieii luce deprehensus fuerit, qui bone fame sit, et furtum non plus quam tres solidos valeat, cutem cum crine demeretur. Sed si furtum ultra tres solidos valeat, reus est patibulo. De hiis denariis tres solidi medium fertonem debent ponderare. Si autem fur tempore noctis deprehensus fuerit cum sex denariis, reus est patibulo sive suspendio.

[hasła: kradzież w dzień, kradzież w nocy, dobra sława, kara na skórze i włosach, kara śmierci, powieszenie]

[47] De possessione bonorum hereditariorum ad iudicium delato.

Conqueritur vir super alterum pro bonis, quod vera sua hereditas sit, et quod ille teneat cum iniuria, et sua vera sit successio a patre suo, vel ab alio suo agnato, aut a suo predecessor, et si ille conparet super quem querela proposita fuerit, et dicit se habere bonorum illorum defensorem, eo quod bona possederit pacifice et quiete anno et die, contradictione qualibet non obstante et est iuste ac rite meum preedium censuale, ipsum oportet suum defensorem nominare. Si autem sibi defectus fuerit in defensore, actor conservat suam legalem proprietatem in eisdem bonis, quia quivis homo conservat suam innatam hereditatem, facilius quam alter emptam proprietatem, aut obligatam, aut preedium censuale, cum impossibile est aliquem de naturali portione defraudari.

[hasła: skarga, nieruchomości, dziedzictwo, spadek, ojciec, krewny po mieczu, spadkodawca, spokojne posiadanie, świadek, rok i jeden dzień, termin, prawo naturalne]

[48] De habente bona censualia in bonis spiritualibus.

Si homo habuerit censualia et bona a quodam monasterio, aut alio domino, et si dominus aut abbas sibi non fatetur, aut conventus, hic vir potest hoc metseptimus protestari suorum proheredum, quorum quilibet iurabit singulariter, quod iustum et successorium suum sit preedium censuale. Et si dominus aut abbas horum septem testimonio stare noluerit aut fateri noluerit, extunc quivis ipsorum metseptimus [k. 183] suorum coheredum bona sua obtinebit.

[hasła: dziedzictwo, własność, dobra czynszowe, klasztor, pan feudalny, opat, samosiódem, przysięga, współprzysiężnik]

[49] De testimonio pro hereditate vel debito persoluto per septem vel tres viros faciendo.

Si debet vir producere testimonium super proprium alterius metseptimus, aut mettertius, hoc facere debet cum possessionatis hominibus, qui in suo iure argui non possunt, et qui iudicio astare solent, et qui domicilia habent in iudicio supradicto.

Si autem vir debet persoluta debita protestari super proprietatem alterius, etiam debent esse possessionati homines domicilia habentes, si hoc in iudicio non viderunt, nec in iudicio fuerit confirmatum. In nullis etiam causis precio conventi seu empti valeant contestari, qui eiici iure possunt.

Scilicet si aliquis debet persoluta debita probare, protestando pure pro debito, hoc facere debet cum talibus hominibus, qui in suo iure non possunt argui.

[hasła: własność, samosiódem, przysięga, samotrzeć, posesjonaci, współprzysiężnik, domicyl, okręg sądowy, dług zapłacony, przysięga]

[50] De privigno noverce succedente in bona patris de mortui.

Si vir dicit viduam, que unum filium vel plures pueros habet et ipse nulla bona habuerit nec ipsa, et si vir unum etiam filium habuerit cum prima uxore sua, fortuna tandem arridente per suos labores bona habuerint et proprietatem sive hereditatem emerint, aut super bona mobilia sive mercimonia posuerint, imposterum autem vir moritur et uxor, extunc filius viri proprietor est hereditatem recipere, quam pueri femine, aut pueri sororis sue, vel nepotes seu nepte ex filia sua. Ita tamen, si filius patris sit paris condicionis patri. Proxima cognata uxor recipit suppellectilia de iure.

[hasła: wdowa, syn, dobra, własność, dziedzictwo, ruchomość, towar, żona, spadek, zasady dziedziczenia, reguła, siostra, wnuk, wnuczka, równy stanem, krewna, gerada]

[51] De bonis, que extraneis a viro aliquando assignantur, prius vero mulieri et pueris^a iudicialiter fuerint attributa.

Si vir aliquis dederit pueris suis aliqua bona sua, et sue uxori, in iudicio bannito circa vitam suam, et bonam rationem, et si sibi pueri paris conditionis fuerint, et si desuper firma pax firmata fuerit, imposterum autem alteri in eisdem bonis aliquid dederit aut heres fuerit, aut non, ille, cui prima donatio sit data, bene contradicere potest de iure. Ita tamen, si testimonium iudicis desuper habuerit et scabinorum, quando sibi primum donum donatum sit absque contradictione illius, qui ad hoc successor fuerit infra annum et diem. Extunc contradicere non potest, si illi desuper testes habuerint.

^a w starodruku poeris

[hasła: dobra, transakcja, sąd wyłożony, dożywocie, równy stanem, pokój, roszczenie, sędzia, ławnik, darowizna, sprzeciw, spadkobierca, rok i dzień, prawo]

[52] [k. 183v] De muliere, que et qualia bona a viro suo poterit habere, etiam contra voluntatem heredum viri.

Si vir uxori sue sua edifica dederit, que super bona censualia edificata sunt, coram domino proprietatis, et coram suis vicinis, tempore sue vite, et inducit eam in possessionem, et si discedit ab hac luce sine prole, si quod heres suus super bona sua evadere voluerit loqui post mortem viri, nihil in eis poterit optinere, si mulier protestata fuerit, quod sibi datum fuerit.

Si autem fundus seu apparatus et edifica viri proprium fuerit, extunc heres mulieri infringere potest, nisi donatio in iudicio bannito fuerit confirmata. Quia nullus suum proprium dare potest, nisi in iudicio bannito, vel coram iudice et scabinis, nisi suus heres contradicat.

Si autem hereditaria censualia bona fuerint, extunc sue uxori dare non potest absque heredum consensu, vel absque domini proprietatis consensu, in cuius bonis sunt.

Si vero vir mercimonia aut alia bona mobilia habuerit, que ex illis bonis, que ex paterna successione ad eum devoluta sunt, emerit, hec sue uxori dare non potest, nisi in iudicio bannito coram iudice et scabinis.

Si autem vir habuerit bona mobilia aut mercimonia, que sibi propriis laboribus aut prospera fortuna accreverunt cum sua uxore, illa potest dare in valitudine vite sue cuicunque placet, cuiuslibet sine contradictione de iure.

[hasła: mąż, żona, budynek, dobra czynszowe, własność, krewny, dożywocie, spadkobierca, dziedzic, potomstwo, sąd wyłożony, transakcja, sędzia, ławnik, sprzeciw, dobra dziedziczne, zgoda, zezwolenie, towar, ruchomość]

[53] De bonis, penis, et iudicio obnoxii cuiusvis monasterii.

Ubi alicuius monasterii obnoxius suam penam demeretur, hoc est XXX solidi, obnoxius bene potest sua bona resignare et iterum suscipere et dare cui placet, contradictione qualibet non obstante, que propriis laboribus acquisivit.

Ubi autem obnoxius suo domino suum censem protraxerit, pro eo tria talenta demeretur. Item quicquid obnoxius criminalis cause commiserit, pro eo nullius querat iudicium nisi domini advocati.

Quando obnoxius moritur, extunc domino suo advocato oportet dare denarios obnoxietatis et meliorem equum, quem habet. Hoc idem oportet facere sacerdotem suo archipresbitero, dum moritur, tunc sibi oportet dare meliorem equum.

[hasła: mnich, zakonnik, klasztor, sprzeciw, przestępstwo, sąd, wójt, arcybiskup, koń]

[54] De filia dotata et exhereditata alicuius mortui viri non habentis heredes, et de filio dicte filie quomodo hereditat.

[k. 184] Si moritur vir absque herede et nepotem ex filia habuerit, que est exhereditata circa suam vitam, idem nepos maiori iure recipit bona sui avi mortui, quam iudicium, et hoc si sibi est paris condicionis, sed iudicium recipit arma bellica. Si etiam filius duxerit uxorem tempore vite sui patris, et premoriatur patri indivisus a sua hereditate, extunc ipsius filii hereditatem sui avi recipiunt, equaliter cum suis patruis, et non filii filiarum. Si autem filium a se divisorit, protunc filii filiorum in bonis sui avi equalem recipiunt portionem. Sed in hereditatibus avie recipiendis filie filiorum et filiarum iuridice sunt equales.

[hasła: dziadek, córka, syn, spadkobierca, spadek, hergewet, żona, spadek]

[55] De abtestificatione manus pro falsitate et vulnere.

Si unus alteri manum suam abtestari voluerit pro falso, hoc oportet, quod faciat mettertius cum talibus hominibus, qui in suo iure argui non possunt.

Si autem hoc voluerit facere pro vulnere in facto manifesto, oportet quod faciat metseptimus, per iusticiam pacis, ita tamen, si manifestum factum cum malefactore ad iudicium deductum fuerit.

[hasła: samotrzeć, kłamstwo, fałszywe zeznanie, rana, gorący uczynek, samosiódem, przysięga, współprzysiężnik, pokój]

[56] De tutore puerorum, quis esse debeat, et de ratione per eundem tutorem reddenda.

Cum moritur vir, qui pueros habuerit, qui ad annos discretionis nondum pervenerunt, proximus agnatus debet ipsorum ¹ esse tutor, quounque ad annos pubertatis et discretionis pervenerint et rationem de anno ad annum de bonis pupillorum facere debet vel tenetur.

¹ na marginesie: De quo supra folio XXXIII

[hasła: ojciec, dziecko, krewny po mieczu, opiekun, lata sprawne, dojrzały, sprawozdanie, rachunek]

[57] De iudicio apprehensi in manifesto scelere presertim vero stuprum et aliam violentiam committentis.

Omnis querimonie et testimonia, que cum criminosis violenciis ac cum clamore ad iudicium, in facto manifesto deprehensa et deducta fuerint, virum metseptimum ^{1/s} oportet ea protestari circa ius pacis, exceptis vulneribus, que monomachalia non fuerint.

Manifestum autem factum ibi esse dicitur, ubi vir captivatur cum furto aut spolio, manifesto et deprehensus ducitur ad iudicium cum clamore. Insuper etiam

manifestum factum ibi esse dicitur, ubi viro cultellus, sicca, gladius aut alia arma in sua manu deprehensa fuerint, cum quibus pacem infregit, aut si in fuga facti deprehensus fuerit, et captivus ad iudicium cum clamore ductus fuerit. Hunc actor metseptimus vincere debet circa ius pacis.^{1/} Et si factum manifestum cum viro ad iudicium deductum fuerit, sic est stuprum, obsidium, irruentia domicilii, homicidium, furtum, spolium, tunc homo probare debet protestando metseptimus.

[k. 184v] Si vero vir de istis conquiritur, utpote de stupro, extunc sua querimonia sic debet procedere: „Domine iudex, ego conqueror Deo et vobis, quod hic homo venit intra municipalia, et in me pacem violavit, et me stupravit et spoliavit in corpore, rebus et honore muliebri, de quo sufficiens habeo testimonium per eos, qui meum clamorem audierunt, et ostendere volo factum, ut de iure teneor aut debeo, et requiro in sententia diffinitiva, quomodo ipsum vincere debeam, ut mihi proficiat in iure meo”. Extunc ille petat satisdationem, si vult, quam sibi facere oportet, et dicat se de facto esse innocentem. Tunc tutor mulieris interroget in diffinitiva sententia, si mulier violentiam melius poterit protestari cum his, qui clamorem suum audierunt, quam ille possit evadere, cum ad iudicium sit deductus. Tandem diffinitur iure, quod possit ipsum possibilius vincere cum iis, qui clamorem suum audierunt, quam ille evadere possit. Et si hoc protestabitur, ut iuris est, adversarius collum demerebitur. Idem vero iudicium super irruentiam domus iudicatur.

¹ na marginesie: Super folio XXXIIII.

[hasła: skarga, przemoc, przestępstwo, sąd, gorący uczynek, samosiódem, przysięga, współprzysiężnik, pokój, rana godna pojedynku, kradzież, obwołanie, miecz, nóż, sztylet, ucieczka, pokój, zasadzka, gwałt, honor, gwar, zabezpieczenie, niewinność, uwolnienie od skargi, kara śmierci]

[58] De documento qualiter querimonia sit formanda pro violentia in via.

Hic stat Conradus et conqueritur super Henricum Deo et vobis, domino nostro, regi aut duci, aut vobis, domine iudex ac toti universitati civitatis, divitibus ac pauperibus, quod ipse inter municipale venerit ad locum talem, ubi Conradus pace et quiete perfrui debuerat et sibi obsidium fecit in strata regia, et regia in pace, et in eo municipali pacem infregit ac ipsum vulneravit ac destruxit et spoliavit in corpore et in rebus suis, in eoque talem strepitum perfecit, quem bene probare potest, et cum ipse in eo pacem violavit strepitumque in eo commisit, tunc propria in persona vidit ipsum, et in persona propria ipsum clamore proclamavit. Si hoc fatetur stet, si autem negabit, ipse eum vincere intendit per hos, qui suum clamorem audierunt ac testimonio. Et sicut ipsum captum in manifesto facto deduxit ad iudicium, sic in sententia requirit, quomodo ipsum vincere debeat, ut sibi proficuum sit in suo iure.

[hasła: skarga, król, książę, sędzia, miasto, zasadzka, droga królewska, zranienie, pokój, gorący uczynek, sąd, wyrok, prawo]

[59] De accusatione viri pro vulnere, aut alio crimine manifesto, ad iudicium clamore deducti, quomodo procedendum sit contra eum.

Si vulneratus vir cum clamore ad iudicium decuctus fuerit in facto manifesto, et si ita imbecillis aut debilis fuerit, quod per tutorem ipsum querulari oportet et prolocutorem per sententiam petat, extunc tali modo sua procedat querimonia: „Domine iudex, si me huic vulnerato dedistis pro advocate, extunc in sententia requiro, si propter iusticiam insidias [k. 185] propter aliquem pati debeam, quam iure teneri debeam aut sustinere, cum suam causam propter iuris exigentiam teneo”. Cui diffinitur, quod non, denique sibi petat correccionem. Cum obtinuerit correccionem, tunc petat colloquium pro consilio, cum vero habuerit colloquium, tunc requirat, qualiter inchoare debeat per sententiam diffinitivam, ut sibi proficiat in suo iure. Tandem diffinitur sibi cum clamore. Tunc interroget sententialiter, si requiri debeat de ore ad os, a quo suam habeat lesionem. Tunc sibi diffinitur, quod debeat. Extunc emittuntur duo scabini et cum ipsis preco, aut duo viri, qui iudicio astare consueverunt, qui ab ipso solo audiant, a quo receperit vel habuerit damna, aut quis in eo pacis federa confregerit. Extunc requiritur sententialiter, et requiri debeat circa iuramentum prestitum aut ius civitatis, quid ab eo audierunt. Tunc unus interrogetur ad dicendum, quid ab eo audierint. Audita responsiva, posthac in sententia requiratur, si sibi profecerit, tunc sibi diffinitur, quod sic, eciam secundus et tertius interrogetur. Extunc sibi diffinitur, quod sibi profecerit, postea querelam incipiat: „Domine iudex, placeat attente audire”. Tunc hic N. conqueritur super unum N. et super I., quod ipsi venerunt intra municipale, et in eo pacem infregerunt, et ipsum vulneraverunt aut suum affinem proximum trucidaverunt, si homicidium fuerit, et ipsum spoliaverunt corpore et rebus, et pro eo iudicium petit. Extunc illi ter vocantur, quando vocati per clamorem ter fuerint, tunc conqueritur ulterius et nominet malefactores, ut prius querulatum fuit. Idem faciat tertia vice. Extunc inducie dantur per noctem. Si tunc non conparent, inscribantur. Si autem conparent, duellum in eis acquiri potest.

[hasła: zranienie, sąd, wyrok, skarga, sędzia, sprawiedliwość, posiedzenie, ławnik, szkoda, przysięga, prawo, zabójstwo, kradzież, zranienie, otrucie, noc, pojedynek sądowy]

[60] De querela super furem captum in recenti criminе, et pro spolio contra raptorem.

Quando vir furem aut spoliatorem protestari voluerit, qui cum manifesto facto ad iudicium cum clamore deductus fuerit, qui conqueritur sic: „Domine iudex, ego conqueror Deo et vobis super meum furem, quem cum apparenti furto captivavi et ligatum ad iudicium usque perduxi, quod ipse venit intra meos quattuor angulos et subtraxit mihi mea bona, super quo bonum habeo testimonium ab iis, qui clamorem meum audiverunt, et ipsum vincere volo iure meo ac meo testimonio, ut hic mihi ius dictaverit. Et requiro sententialiter sciscitando, quomodo ipsum vincere debeam iure, ut mihi proficiat in iure meo”. Et sic diffinitur, quod metseptimus, si furtum presens fuerit. Idem iudicium fiat pro spolio et super raptorem.

[hasła: kradzież, złodziej, gorący uczynek, sąd, skarga, sędzia, dobra, samosiódem, przysięga, współprzysiężnik]

[61] De vulnerati querela, quomodo per prolocutorem fieri debeat.

[k. 185v] Ubi vir alterius verbum loqui debet, ad quod sententiis scabinorum vel iure conpellitur in facto manifesto, dicat sic: „Domine iudex me dedistis illi homini prolocutorem, extunc requiro in sententia, si ab aliquo immicicias aut timorem habere debeam, quod verbum suum pro iuris loquar exigentia, quantum melius possum, aut valeo”. Quando sibi hoc diffinitum fuerit, tunc sibi diffiniat correctionem, quod si ipsum in aliquo neglexerit, quod se corrigere poterit tecum aut per me aut per alterum advacatum. Cum sibi hoc diffinitum fuerit, petat colloquium, si vult, et requirat in sententia, quando querela inchoari debeat, ut sibi proficiat in suo iure. Cum hoc sibi diffinitum fuerit, tunc in sententia interroget, si Iesus interrogari debeat, quis in eo pacem infregit, et si ita fuerit debilis, quod suum malefactorem nominare non possit. Cum igitur hoc diffinitum fuerit et ipsum iudex aut duo scabini aut duo viri, qui iudicio astare solent, viderunt, requirat in sententia, si ipsi causa iustitie dicere debeant circa iuramentum ipsorum et ius civitatis, quod notorium ipsis de hoc facto sit. Cum hoc sibi diffinitur ab uno ad secundum et tertium, extunc requirat in sententia, si iam profecerit. Cum sibi hoc diffinitum fuerit et pacis violator per clamorem cittatus fuerit, ut iuris est, tunc dicat sic: „Domine iudex, placeat audire verbum suum”. Tunc conqueritur vobis super hunc N., quod ipsum in strata libera infestavit ac intra municipalia in eo pacem infregit, ac ipsum vulneravit et violentiam in eo peregit, quam probando ostendere potest, quod ipsum depredatus est corpore et rebus, et tantum recepit sibi, quod non minus valeat, nisi bene duellum mereatur. Et super eo a vobis iustum petit iudicium. Extunc pacis violator proclamatur primo et secundo et tertio, per nominem suum, N., et iterum suam querimoniam renovet in hunc modum: „Domine iudex, vobis conqueritur super unum N., quod ipse venit intra municipale in strata regia, in eo Dei pacem infringendo”, et ipsum rebus et corpore sanitatis depredatus est ac ipsum vulneravit et in eo strepitum fecit, quem apparenter potest demonstrare, et pro eo petit iudicium, et sic tertia vice faciat. Tunc ostendet vulnus et interroget in sententia diffinitiva, si suum pacis violatorem in aliquo loco invenerit, si ipsum licite arrestare possit ex parte iudicii. Cum igitur hoc diffinitum fuerit, tunc petat pacem, que sibi indici debet.

[hasła: sędzia, pełnomocnik, wyrok, niepełnosprawny, ławnik, przysięga, prawo, skarga, zranienie, przestępstwo, droga królewska, rana, okazanie ran, pokój, posiedzenie]

[62] De salutatione seu concittatione ad duellum.

Qui monomachaliter suum equalem salutare seu alloqui voluerit, hunc iudicem petere oportebit, ut se intromittere possit de uno pacis sue violatore, quem videat in presenti. Cum hoc sibi per sententiam diffinitum fuerit, tunc etiam in sententia requirat,

per quem modum se de ipso intromittere debeat, ut sibi in suo iure proficere possit. [k. 186] Tunc sibi de iure diffinitur, curialiter per oram vestimenti. Et cum se de ipso intromittet, pronunciet sibi causam, pro qua se de ipso intromisit, quod statim potest facere, si vult, aut pro eo habere colloquium. Tunc ipsum inculpare oportebit, quod pacem in eo infregit aut in strata regia, qualitercunque infregerit, eodem modo queruletur super eum. Tunc ipsum iterum inculpet, quod ipsum depredatus est et eam vim in ipso fecerit, quam bene probare poterit ibidem, vulnus aut vulneris cicatricem demonstret, si vulnus sanatum fuerit. Tunc ultimus conqueratur, quod ipsum spoliavit bonis et de ipsis sibi tanta recepit, quod bene duellum meretur. Hec tria criminalia facta omnia simul conqueratur, de quocunque horum trium, si de uno obliviousatur aut tacuerit, extunc suum duellum ammisit. Et loquitur ulterius: tunc ipsum solum, hoc est in persona propria, et ipsum clamore proclamavi. Si fateri voluerit, ego sum contentus, et si non fatebitur, ipsum omni iure vincere volo, ut mihi vulgus iudicaverit, aut scabini, si sub banno regio fuerit. Extunc ille petat satisfactionem, quam sibi facere debet.

Tamen vir potest suam querimoniam meliorare ante satisfactionem, si voluerit. Facta satisfactione ille suam exhibeat innocenciam, hoc est iuramentum, quod ipsum iurare oportet, et iuramentum monomochale, si ipsum iurare incitaverit, si ibi fuerit, hoc est si ille iuramentum perficere poterit pre [s] imbecillitate sui corporis. Quivis vir potest se a duello excusare illi viro, qui sibi paris conditionis non fuerit. Illi [s] etiam, qui nobilioris nature fuerit, ille preesse non potest [illi], qui deterioris nature fuerit, si ipsum alloquetur. A duello etiam cedere potest, qui post meridiem allocutus fuerit, nisi ante meridiem fuisse inchoatum, iudex etiam debet habere clipeum et gladium illi, super quem allocutum fuerit. A duello etiam homo potest excipere suos affines, si uterque suus affinis et in consanguinitatis linea coniuncti fuerint, quod simul pugnare non poterint. Iudex etiam duos nuncios dare debet cuilibet horum, qui pugnare debent, qui videant, ut habeant attinentiam secundum veram consuetudinem. Coreum et linea indumenta induere possunt et debent in quantum placet. Capite et pedibus, in anteriori parte denudati, et in manibus ciroticas habeant, unum gladium nudum in manu et alio ac tincti, aut duobus, hoc arbitrio eorum admittitur, et unum clipeum rotundum in sinistra manu, quod non aliud quam ligneum et corio superductum preter umbonem, seu manuum tectorium, quod potest esse ferreum, unam tunicam absque manicis super preparamenta. Etiam iudex, vel preco communis, debet indicere sub pena colli, quod nemo eos impedit circa duellum. Cuilibet ipsorum iudex unum virum dare debet, qui phalangam ferat, qui ipsos in nihilo impedire debent [s], nisi unus ceciderit, quod phalangam [k. 186v] interponat, aut si vulneratus fuerit, aut si phalangam desiderat. Hoc idem facere, nisi voluntas iudicis fuerit, non potest. Postquam circulo pax indicta fuerit, ambo debent circulum affectare, quem ipsis iudex licentiare debet de iure. Finalia fermenta [s] de vaginis gladiorum deponere debent, nisi a iudice licentiam habuerint. Ambo ornati debent ire ante iudicem, et ambo iurare debent: unus, scilicet actor, quod causa sit vera, pro qua super ipsum querelam fecit, et respondens, quod sit innocens. Sic ipsos [s] Deus adiuvet et suum duellum. Sol eciam ipsis dividi debet per medium, quando primo convenient. Si vincetur ille, super quem conqueritur, tunc iudicetur sententia capitali. Si autem vicerit, dimittetur cum pena et emenda. Actor primo circulum

intrabit. Alter si diu tardaverit, iudex debet ipsum per preconem vocare in illa domo, ubi se preperaverit, et duos scabinos seu iuratos cum ipso mittere debet. Sic cittari debet primo, secundo et tertio, et si ad tertiam cittacionem non venerit, tunc querulator surgat et se ad duellum exhibeat. Et statim percutiet duos ictus et tertium figat contra ventum, cum eo ipse suum adversarium devicit tali causa sive querela, pro qua ipsum fuerat allocutus. Et iudex sibi iudicare debet, sicut per duellum adversarius suus convictus.

Sic mortuus debet convinci, si in furto aut in rapina, aut in simili crimine occisus fuerit. [¹] Si autem mortuus cum septem testibus protestari poterit, extunc ad duellum se non potest exhibere contra ipsum. Si autem ipsum alter agnatus mortui, quisunque fuerit, loco ipsius ad duellum se exhibuerit, hic extinguet omne testimonium, quia tunc ipsum absque duello vincere non potest, ut superius est expressum. Sic vincitur etiam et ille, qui ad duellum captivatus aut salutatus fuerit, aut promittit aut fideiussorie cautionem fecit, quod debuit comparere et non comparuit ad iustitiam responsivam.

¹na marginesie: Articulus condemnatus. De quo supra folio CLXXIIII arti. XI

[hasła: sędzia, pokój, wyrok, prawo, pojedynek sądowy, skarga, droga królewska, oskarżenie, rana, blizna, dobra, sąd królewski, ławnik, gwar, zabezpieczenie, przysięga, niewinność, niepełnosprawność, równy stanem, szlachcic, tarcza, miecz, krewny, zwyczaj, pięściarz, wola, powód, kradzież, świadek, krewny po mieczu, nawiązka, kara sądowa, mulkta, posiedzenie]

[63] De accusatione violatoris pacis cum duello.

Quicunque occisum seu vulneratum virum captivum ad iudicium deduxerit et ipsum pacis violatorem accusaverit, per duellum vel absque duello si non probaverit secundum iuris exigentiam ipse desuper ipsum, idem iudicium iudicari debeat, quod super illum procedere debuerat, ac si iudicio convictus fuerit, et hoc per iustitiam pacis.

Si vulneratus hunc alloquitur, qui ipsum vulneravit per duellum et si pre [s] debilitate corporis duellum perficere non possit, et si tutorem non habuerit, qui pro eo pugnare velit, inducie sibi iudicari et ordinari debent, quousque suum duellum perficere possit.

[hasła: zabójstwo, zranienie, sąd, pokój, skarga, pojedynek sądowy, prawo, pokój, sprawiedliwość, rana, niepełnosprawność, pojedynek sądowy, opiekun]

[64] [k. 187] De iure privatis periuris et infamibus.

Qui vitam aut manum pecunia redemerit, quod demeruerit, hic iure suo privetur seu infamis efficitur. Et si tempore vite unius plura bona fuerint, quam quod suo iuramento exactionaliter alias solvendo exactionem comprobasset, et si fatetur eadem bona esse sua, tunc periurius existit, perdidit omne ius suum civile et caret iure,

propter quod infamis dicitur. Et quidcunque periurus debeat protestari, hoc coram iudicio oportet fieri, ita quod sibi causa nominatur propter quam sit periurus. Et si fateatur, vel bona sub ipso valeant promptari, alias cognosci vel inveniri, pro quibus patenter iuravit, extunc periurus est et convictus carensque iure et perdens suum ius civile.

[hasła: utrata prawa, pieniądze, wykupienie od kary, kara śmierci, kara uciecia ręki, przysięga, podatek]

[65] De fideiussione scelerorum.

Qui etiam fideiusserit unum virum pro scelere ad statuendum ipsum coram iudicio, et ipsum statuere non poterit, recompensam ipsum solvere oportet, et sibi in suo iure non Oberit illi, qui fuerat fideiussor, et nemo prescribi debet, nisi culpa ad collum sive ad manum sibi procedit.

[hasła: poręczenie, zapłata, wynagrodzenie, prawo, wina, kara śmierci, kara uciecia ręki]

[66] De suppellectili, que ad mulieres pertineant.

Si mulier suppellectilia, ad que spectant oves, vascula et capisteria, et omnia cibaria domestica, de quibus vir indiget ad unius anni revolutionem, que in sua possessione inveniuntur, quorum cibariorum medietas ad mulierem pertinet.

Cum viro uxor sua moritur, proxima sua cognata recipit suppellectilia, que debet pro viro suum stratum decorare, ut stetit, cum uxor sua vixit, cum lecto, cussinis, lintiaminibus, culcitra et tectura, sedem etiam suam cum pulvinari, quod singulis diebus de super iacuit, suam mensam cum mensali et manutergio. Hec eadem cognata nulla recipit pulmentaria.

[hasła: gerada, mąż, krewna, część obowiązkowa, okrasa]

[67] De armis bellicis, ad quem devolvuntur per successionem. Item de tutore puerorum.

Mulier pro armis bellicis dare debet gladium mariti et suum equum vel dextrarium meliorem sellatum et meliora arma, que habuerit pro corpore unius viri, cum decessit in sua potestate, deinde dare debet pulvinar bellicale, hoc est lectum et duos cussinos, et duo lintiamina, et unum mensale, et duas pelves, et unum manutergium. Hec sunt universalia arma bellica. Sed tamen aliqui [k. 187v] homines diversa apponunt, que ad ea non pertinent, sed quicquid ex his nominatis mulier non habuerit, ad hoc, quod det, compelli non potest, si iuramento probaverit pro qualibet re per se.

Ubi vero ostendere patenter poterit, ibi vir nec mulier per iuramentum evadere possunt. Ubi duo aut tres ad una bellica arma nati fuerint, senior pro se recipit gladium et cetera divident inter se equaliter, ita quod senior dividet et iunior eliget. Ubi etiam

duo vel plures unam simul habuerint hereditatem, ibi unus alium ad divisionem iure valeat coartare.

Ubi vero pupilli annos pubertatis nondum attigerunt, eorum senior agnatus recipit arma bellica solus, et in eis est tutor puerorum quousque ad annos discretionis pervenerint, extunc ipsis reddere tenetur et insuper ipsorum omnia bona, nisi eis rationem fecerit, quo ea ad eorum usus seu profectum converterit, aut per spolium aut per apprens infortunium et absque sua voluntate ammisericit. Ipse etiam est vidue tutor, quousque maritum duxerit, qui sibi paris conditionis fuerit. Post arma bellica mulier vite provissionem recipere potest et alia omnia, que ad suppellectilia pertinent, hoc sunt omnes oves, anseres, auce, anete et ciste cum elevatis tecturis, omnia strata pulvinaria, cussini, linthiamina mensalia, pelves, manuteria, lucibula, candelabra, semen lini et linum, et omnia muliebria vestimenta, anuli, brachialia et crinilia, psalteria et omnes libri, in quibus mulieres legere consueverunt, que /s/ ad Dei cultum pertinent, sedilia ac scrinia, capecia et vela dorsalia vel tectoria, balneamina et omnia pepla, et alia ornamenta capitis muliebria, hec etiam sunt, que ad suppellectilia femine pertinent. Insuper adhuc diversa sunt clenodia, que ad suppellectilia pertinent, singulariter non nominata, sicut sunt seticula, pectines, forpices, specula. Sed tela non incisa, argentum et aurum non textum non pertinet ad mulieres. Sed quicquid extra prenominata in rebus inventum fuerit, pertinet ad heredes. Si aliquid ex iis obligatum fuerit circa vitam viri, qui mortuus est, redimet, si vult, ad quem de iure pertinent.

Sacerdos dividit cum fratre, si non fuerit monachus.

[hasła: hergewet, gerada, kobieta, miecz, koń, mąż, przysięga, pełnoletniość, lata sprawne, pupil, dobra, opiekun, wdowa, równy stanem, klejnot, srebro, złoto, kapłan]

[68] De his, qui religioni quam antehac suscepserant abrenunciantes, possunt obtinere ius suum, et qui non.

Si puer infra annos pubertatis religionem intraverit, bene potest aut annos, si vult, exire ac observare ius feodale et terrestre.

Si autem vir, qui dum annos pubertatis implevit, /k. 188/ intraverit religionem, hic se a iure terrestri ac feedali alienavit, et sua feedalia vacant, quia scutum bellicum resignavit. Quod hoc possit protestari per hos, cum quibus similem vitam visus est suscepisse.

[hasła: pełnoletniość, zobowiązanie, kapłan, mnich, transakcja, lenno]

[69] De sententia et interlocutione.

De qua sententia vir prius queritur, hec prius debet diffiniri. Actor et reus possunt colloquia habere pro qualibet causa tribus vicibus, quousque preco ipsos revocabit.

[hasła: wyrok, skarga, odpowiedź na skargę, pozwany, posiedzenie]

[70] De honestate iudicii. Item de prolocutore et principali.

In omni loco iuris est, ut iudex iudicet cum sententia scabinorum. Aperte vir non loquatur coram iudicio, postquam proloquitorem habuerit, nisi si iudex eum requisierit, si in verbo consentiat sui prolocutoris seu procuratoris, tunc bene dicere potest, sic vel non sit, aut desuper petere colloquium.

[hasła: sędzia, wyrok, sąd, pełnomocnik, posiedzenie]

[71] De pueris mortui fideiussoris.

Si vir pro pecunia aut pro debito fideiussor fuerit et idem vir moritur, sui pueri non tenentur pro eo solvere. Si autem vir fideiussor fuerit pro pecunia, fideiussorem pecuniam solum solvere oportet, aut probare, quod pecunia sit integraliter persoluta.

[hasła: pieniądze, dług, ojciec, dziecko, dziedzic, zapłata, poręczyciel, poręczenie]

[72] De vulneribus flaveis et fuscis baculo et fustibus illatis.

Si vir fustibus aut baculis percussus fuerit supra dorsum suum aut supra ventrem, et verbera fuerint, flavea aut fusca et inflata, et si desuper iudicem pro teste habuerit et homines iudicio digno, qui hoc viderunt et audierunt, ipse est duellum propior super eum acquirere, quam ille ipsum evadere possit suo iure.

Si autem super caput aut brachia percussus fuerit, quod aliter ostendi non possit, illi homines melius evadere possunt, quam ipse super eos protestari seu probare possit suo iure. Si autem fatentur, quivis ammittit emendam et iudex acquirit suam penam. Si vero verbera mortalia fuerint, respondere tenentur cum duello, qui pro eodem iudicialiter fuerint impulsati. Si autem mortalia non fuerint, respondebit unus cum duello et alii respondebunt absque duello, quia ipsi evadunt suo iuramento.

[hasła: pobicie śmiertelne, świadek, sędzia, pojedynek sądowy, bliższość do dowodu, uwolnienie od skargi, przysięga, nawiązka, kara sądowa, mulkta]

[73] De hereditate lege caduca ad regiam maiestatem devolvenda.

Si hereditas absque successoribus relinquitur, ita quod nullus se trahat ad eadem infra annum et die, hoc pertinet ad regiam maiestatem.

[hasła: kaduk, król, spadek]

[74] [k. 188v] De viro occiso, pro quo pueris superstitibus actio prohibetur.

Si vir occisus fuerit, qui pueros tres vel plures habuerit, et vir unus pro eo iudicialiter impulsatus fuerit et evaserit, ut ius dictaverit, sibique super eandem querimoniam vera satisdatio facta fuerit, non debet imposterum ab iis pueris pro eodem homicidio infestari.

[hasła: ojciec, dziecko, zabójstwo, prawo, uwolnienie od skargi, skarga, zabezpieczenie, gwar]

[75] De iuramentis absque pena, et de impedimento iurantis.

Si vir alteri iurare debet coram iudicio digne et sine pena, potest bene supraponere et deponere absque licencia iudicis, per hoc nihil ammittit.

Si etiam iuramenta promissa venerint super diem ligatum et feriatum, hec iudex protrahere potest super alium diem iudiciale, qui venerit extra dies ligatos.

Etiamsi vir balbutiens vel alter, seu testis aliquis fuerit impeditus, ita quod imperfecte suum dixerit iuramentum, ille se ipsum emendare valeat, quotiens impeditur et manebit de huiusmodi melioratione sine damno.

[hasła: kara, przysięga, sąd, dzień świąteczny, sędzia, świadek, jąkający się]

[76] De repetitione penarum per iudicem.

Quando iudex extorquet suam penam, ulterius nec aliquam aliam super hanc penam potest extorquere. Et si vir bona iudicialiter alloquitur, ut iuris est, aut hereditatem, pro eo non indiget iudici quicquam dare, cum ipse iustitiam tenetur iuvare. Etsi homo suam querelam tenere promiserit, hoc autem interim per bonum pacis medio tempore concordatum fuerit, pro eo non plus ammittit, quam iudex acquirat suam penam.

[hasła: sędzia, kara sądowa, malkta, dziedzictwo, prawo, sprawiedliwość, skarga, pokój]

[77] De invita querela ad quam nemo potest coartari.

Si vir vulneratus aut trucidatus fuerit et conqueri noluerit, iudex ipsum, nec ad aliquam querimoniam, compellere potest ultra suam voluntatem.

[hasła: zranienie, otrucie, skarga, sędzia, wola]

[78] De bonis proscripti aut ad mortem sententiati.

Si vir proscriptus aut ad sententiam mortis iudicatus seu condemnatus fuerit, nullus sua bona habet recipere, quam sui heredes veri.

[hasła: kara śmierci, konfiskata dóbr, dziedzic, spadkobierca]

[79] De bonis mortui ad successores devolvendis.

[k. 189] Si vir moritur, qui habet pueros et bona habuerit nulli donata, pueri sui sibi succedunt, si equales sibi fuerint in natura. Si autem ex hic pueris unus decesserit, mater sibi in parte sua succedit. Et mater cum his bonis nihil facere potest absque suorum heredum consensu aut voluntate. Si vero omnes pueri, patre mortuo, moriuntur, extunc bona sua heredant super suam matrem, et postea, si mater decesserit ab hac luce, tunc eadem omnia bona heredant super mulieris proximiores heredes, sive sint masculi, sive femine, ex paterna et materna consanguinitate. Etiam mulier non potest talem hereditatem vendere nec donare, sed cum rebus mobilibus potest facere quicquid vult. Sed cum hereditate quicunque facere non potest absque consensu heredum.

[hasła: ojciec, dziecko, dobra, spadek, równy stanem, matka, wola, zgoda]

[80] De puer duodecim annorum, qui possit sibi tutorem eligere et pro se in iudicio respondere.

Quando puer est duodecim annorum, tunc potest eligere pro sua voluntate quem voluerit pro tute. Et qui suus fuerit tutor, hic matri rationem facere habet et adolescenti, quid cum bonis factum fuerit. Cum etiam puer fuerit duodecim annorum, is mundiburdius alias sui potens est factus, et potest in eo iudicium perpetrari et etiam bona sua a se sine tute alienare. Sed innatam hereditatem et proprium debet dare cum consensu heredum. Etiam iste puer de iure ad responsionem valeat coartari seu compelli.

[hasła: dziecko, opiekun, matka, rachunek, sprawozdanie, transakcja, sąd, własność, zgoda rodziny]

[81] De obiectione illibertatis et probatione libertatis.

Si vir aliquem alloquitur, quod suus sit illiber, si potest suam libertatem protestari et probare, propior est evadere,¹ quam ille ipsum vincere possit. Libertatem suam vir probare potest cum tribus cognatis et tribus agnatis, sic metseptimus esse debet, sive sint viri sive femine.

Etiam hoc scire quilibet legens debet, quod quando scribitur agnatus, significat proximos ex par[te] patris et ex parte gladii. Sed ubi scribitur cognatus, ex parte matris et fusi consanguineos significat.

¹ na marginesie: De quo supra folio LVI. C Nobilitatis

[hasła: wolność, bliższość do dowodu, uwolnienie od skargi, krewny po mieczu, krewny po kądzieli, samosiódem, przysięga, współprzysiężnik, mężczyzna, kobieta]

[82] De servo bona domini sui perludentis seu alienantis.

Si servus bona domini perluserit taxilis, aut obligat aut vendit, dominus bene potest arrestare denuo iure, ut se ad ea bona [*k. 189v*] trahat, ut iuris sit. Si autem propria bona deluserit, aut quocunque modo a se alienaverit sua voluntate, dominus super ea bene alloqui potest, quia servo solvere non tenetur, et sic domino pro bonis servi non est licitum respondere. Si autem servo suus equus, vel alia bona furtive, aut spoliando recepta fuerint absque servi culpa in domini servicio, hoc oportet dominum solvere servo, et pro eo oportet dominum respondere, si super eum queruletur.

[hasła: sługa, pan, gra, przegrana, zapłata, skarga, dług, pieniądze, odpowiedzialność, koń, kradzież, transakcja]

[83] De bonis in deposito alicui commissis.

Quicunque alteri bona sua dederit ad servandum, aut in deposito posuerit, si sibi subtracta fuerit [*s*], aut spoliatus eis fuerit, aut combusta, vel si mortuum fuerit, si equus vel pecora fuerint, non debet aliquod damnum pro eis sustinere, si presumit iurare, quod absque sua culpa ammissum fuerit. Sed quod viro concessum aut obligatum fuerit, hoc in destructum reddere tenetur, aut secundum suum valorem solvere. Si autem moritur equus aut vel pecus infra obligationem absque illius culpa, cui obligatum fuerat, si hoc probaverit, et si iuramentum super eo prestare presumpserit, quod sine sua culpa decesserit, non solvit, sed suam recompensam ammittit, in qua sibi fuerat obligatum.

[hasła: dobra, depozyt, kradzież, pożar, koń, bydło, szkoda, przysięga, wina, zobowiązanie, przysięga, zapłata, wynagrodzenie]

[84] De debito in ludo taxillorum contracto.

Si aliquis conqueritur super aliquem pro debito aut pecunia ludo aut taxillis acquisita et detasserata, pro eo sibi non habet respondere. Si aliquis etiam conqueritur super alium pro cibariis preparatis, hic propior est obtinere iuramento, quam ille ipsum evadere possit suo iuramento.

[hasła: gra, dług, przysięga, bliższość do dowodu]

[85] De cassatione inscriptionis iudicialiter facte.

Qui se extraxerit a descripcione et si solutus, iudicatus fuerit, iudex tamen in eo obtinet suam penam. Et si sibi iudex fateri voluerit *[s]*, ipse eum potest deponere per unum, qui eodem interfuit iudicio, quia nec captivus apparuit, nec proclamatus. Si autem iudex ipsum imposterum obiurare voluerit, ipsum in nullo ulterius obiurare potest, quam ad suam penam, si super eo testes habuerit, quod se extra descriptionem obiuravit.

[hasła: kara, sąd, uwolnienie, sędzia, świadek, przysięga]

[86] De salario deservito per dominum servo suo eodem die solvendo.

Si servus deservitum precium super suum dominum obiurgaverit coram iudicio, pro eo dominus ullam iudici demeretur penam et *[k. 190]* dominus servo hoc tenetur eodem die solvere.

[hasła: sługa, mulkta, sędzia, zapłata]

[87] De debitorum probatione.

Si vir conqueritur super alterum pro suo debito cum testibus coram iudicio, hoc bene potest obtainere cum viris fidedignis, qui in suo iure reprobari non possunt. Ita tamen, si ille dixerit se innocentem. Si autem reus hoc debitum dixerit se persolvisse, extunc impedit sibi suum testimonium. Hoc bene probare potest cum probis viris fidedignis mettertius tacto sacramento.

[hasła: skarga, dług, świadek, niewinność, zapłata, przysięga, samosiódem, współprzysiężnik]

[88] De satisdatione facienda

Si super virum conquestum fuerit et satisdationem pecierit, alter sibi eam denegare non potest, quin eam sibi faciat, si ipsum per sententiam ad hoc compulerit. Si autem satisdationem fecerit sibi, ad suum ius non nocet, nec iste plus lucratur cum satisdatione, qui eam petit, nisi quod nullus alter amicorum suorum ipsum a modo pro hac causa valeat impedire.

Satisdatione facta nullus suam querelam meliorare potest.

[hasła: skarga, gwar, zabezpieczenie, wyrok, prawo, krewny]

[89] De querelis in factis manifestis et probatione earum.

Omnis querela, que ad iudicium pro capitali crimine in facto manifesto deducta fuerit, debet conqueri cum clamore propter factum manifestum, quod ostendi debet.

Manifestum factum ibi est, ubi vir cum furto aut preda captivus ad iudicium deductus fuerit cum clamore.

Item factum manifestum est ibi, ubi apud unum gladius aut cultellus aut sicca aut alia defendicula in manu sua deprehensa fuerint, cum quibus pacem violavit, aut si in fuga facti captus fuerit et captivus ad iudicium ductus fuerit cum clamore. Hunc actor metseptimus vincere debet circa ius pacis, si manifestum factum cum reo ad iudicium deductum fuerit.

[hasła: skarga, kara śmierci, sąd, gorący uczynek, kradzież, miecz, nóż, sztylet, samosiódem, przysięga, współprzysiężnik, prawo, pokój, pozwany]

[90] De actione debitorum in iudicio burgrabii.

In iudicio burgrabii Maÿdemburgensis potest vir pro debito bene querulari super actorem, autem oportet ab uno iudicio burgrabii ad aliud iudicium suam sequi querelam, ita quod super suo adversario denunciet.

Si autem super virum querimonia cum testimonio facta fuerit in eodem iudicio pro debito, et si dicit, quod persolverit, hoc potius probabit per homines fidedignos, quam ille ipsum vincere possit, quod facere potest incontinenti, si vult, aut per sex eddomadas *[s]* in iudicio sculteti. Si autem vir iuramentum unica manu prestare debet, hoc in eodem iudicio facere oportet.

[hasła: burgrabia, Magdeburg, dług, powód, sąd, skarga, zapłata, świadek, termin, sołtys, przysięga]

[91] De iudicio iudicis et loco iudicandi ac solutione recompense et emende.

[k. 190v] Iudex debet iudicium exercere^a, et de eo temptare quottidie in vero loco iudicali, excepto quod vir absque testibus noluerit *[s]*, querulari hoc ubilibet potest iudicare sine mora. Iudex etiam iudicium coordinare debet, quando iudicare debet, et non actor nec reus.

Recompensa et emenda et pena iudicis solvi debent ad diem, ut fuerit diffinita cum talibus denariis, prout tunc in eodem iudicio sunt transeuntes et daturi, recompensam et emendam actori, iudici vero penam.

^a w druku exereere

[hasła: sędzia, sąd, świadek, skarga, zwłoka, zapłata, kara sądowa, mulkta, nawiązka, zapłata, wynagrodzenie, zwyczaj, powód]

[92] De publicatione et infiscatione bonorum occasione debiti.

Si vero aliquid bona fuerint publicata seu fiscata, sive predicta bona possidet ille, qui hoc deduxerit in fiscationem cum fiscacione tribus diebus et tribus noctibus.

Insuper ibidem debet comedere et bibere simul et dormire cum fiscatione. Deinde debet coram iudicio pronunciare diebus tribus, tribus vicibus semper ad duas ebdomadas, et ad quartum iudicium iudex sibi pacem desuper debet formare, et sibi appropriare per sententiam scabinorum. Et tunc bene potest vendere eadem bona cum scitu hominum probum. Si autem aliquid ultra suum debitum superfuerit, hoc illi debet reddere, cuius fuit hereditas. Sed si defecerit, extunc agat ulterius repetendo, id quod deficit.

[hasła: konfiskata, dobra, posiadanie, sąd, krewny, termin, sędzia, pokój, wyrok, ławnik, sprzedaż, dług, dziedzictwo, własność]

[93] De arrestatione quorum vis bonorum et equorum.

Si vir alloquitur aliqua bona, ut pannos aut quicquam suarum rerum fuerit, quod sibi subtractum aut raptum fuerit, ad hoc se unica manu trahere debet et iurare debet tacto sacramento, quod tunc suum fuit et nunc suum sit, cum sibi subtractum seu raptum fuerat.

Sin autem equus fuerit, quem vir alloquitur, quod sibi subtractus, aut eo spoliatus sit, ad hoc se trahere debet, cum dextro suo pede calcare debet equum supra suum pedem anteriorem sinistrum, et sinistra manu equum per dextram aurem capere, et petere debet reliquias et prolocutorem. Et iurabit supra caput equi tacto sacramento, quod tunc suus fuit et nunc suus sit, cum sibi subtractus aut eo depredatus fuerit. Extunc ille se trahere debet ad suum tutorem seu venditorem et iurare debet tacto sacramento, quod equum trahat ad verum tutorem, ad quem ille ipsum iure sequi debet, non autem ultra Mare Aquilonis. Si autem dixerit, quod equum emerit in foro libero et venditorem habere non possit, extunc equum suum ammittet et argentum suum, quod pro eo dedit, et non perdet pro eo aliquam penam.

[hasła: skarga, przysięga, konfiskata, koń, kradzież, sprzedawca, srebro, kara]

[94] De querimonia pro debito post mortuam manum.

[k. 191] Si vir conqueritur super virum pro pecunia post mortuam manum, et ipsum de hoc ut iuris est voluerit informare, hoc facere potest unica manu tacto sacramento, et hoc si ille sibi noluerit consentire. Si autem ille dixerit, super quem querimonia fuerit prolata, se de debito esse ignorantem, aut quod ille persolverit, ex parte cuius fuerit inculpatus, hoc oportet iurare metseptimus tacto sacramento. Si autem dixerit, quod solus illi debitum hoc persolvisset, hoc iurare debet mettertius tacto sacramento cum hominibus fidedignis.

[hasła: skarga, dług, prawo, przysięga, zapłata, zobowiązanie, samosiódem, przysięga, współprzysiężnik]

[95] De antequerelis.

Si vir cum scitu contra alium ad iustitiam se exhibuerit, et alter noluerit et spreverit, et vulneret alium non querulando absque iure, et ille vulneratus veniet ad defensionem et vulneret illum mutuo, et hic, qui primo vulneravit suum adversarium, prius ad iudicium veniet et conqueratur, tandem alter, in quo pax sit violata, etiam postea veniet circa lucem diei et dicat, quod initium illius fuerit et non suum. Si hoc, ut iuris est, metseptimus protestabitur cum probis hominibus, qui viderunt et audierunt, vel qui presentes fuerunt, ipse acquirit primam querelam.

[hasła: sprawiedliwość, zranienie wzajemne, skarga, obrona, sąd, samosiód़m, przysięga, współprzysiężnik, samosiód़m]

[96] De filio, quem pater potest proprio iuramento iudicio eximere.

Vir potest filium suum unica manu eximere, qui est in pane suo non uxoratus, facto sacramento sic, quod filius suus reus non sit. Si autem pater et filius ambo pro uno facto fuerint impulsati, extunc patrem oportet se primo de facto veridice expurgare.

[hasła: ojciec, syn, zastępstwo, pozwany, uwolnienie od skargi]

[97] De mulieris manifesto facto utpote homicidio.

Si femina fuerit deprehensa in facto manifesto pro homicidio aut vulneribus duellaribus seu duello dignis, hanc vir propior est vincere metseptimus cum hominibus fidei dignis, quam innocens fieri possit. Extunc iudicium ipsam pati oportet. Si autem vir querulatur pro homicidio aut vulneribus super femina, quod eodem die factum sit aut visum, et si femina cautionem fideiussoriam fecerit supra ius, de quo femina propior est evadere metseptima cum hominibus fidei dignis, quam aliquis ea vincere possit. Si autem mulier inculpatur de querimoniis pernoctatis, hoc propior est evadere femina unica manu tacto sacramento, quam eam aliquis vincere possit, aut aliquid contrarii imposterum pati.

[hasła: kobieta, zabójstwo, zranienie, gorący uczynek, samosiód़m, przysięga, współprzysiężnik, niewinność, skarga, uwolnienie od skargi, zwłoka]

[98] De successione duplitium puerorum alicuius viri.

Si vir duplices pueros habuerit et primos antea eradicaverit exponendo, et si postea aliquid dederit aliis pueris in suis bonis, et moriatur idem vir, hoc secundi pueri ante tollunt. Extunc quicquid [k. 191v] superfluum fuerit, hoc equaliter inter se dividunt, cum omnes equales sibi fuerint in natura.

[hasła: dzieci, wydzielenie, darowizna, dobra, równy stanem, podział]

[99] De scabini vituperatione et dilatione sententie.

Si vir scabinum in scampno indecenter in iudicio bannito increpaverit, si hoc probaverit per suos consodales, qui audierunt, illum oportet dare emendam scabino et iudici penam.

Scabini si non fuerint in una sententia unanimes, vel eam ignorantes, extunc eandem ad secundum et tertium iudicium valebunt differre, et tunc eam inferre debent, [¹] vel eam mittere ferre illuc quo competit si nequant invenire et non diutius prolongare.

¹ na marginesie: De quo supra folio CXXI Capitulum Item cum iudex

[hasła: ławnik, sąd wyłożony, zniewaga, sędzia, kara sądowa, multa, nawiązka]

[100] De proscriptione alicuius occasione non comparationis in iudicio pro homicidio. Et de extensione fideiussionis.

Si super virum querimonia facta fuerit pro homicidio aut pro vulneribus, et ipse se accommodaverit circa suam hereditatem ad comparendum, et si non comparuerit, et profugus factus fuerit, tunc debet vocari cum clamore, ut iuris est. Et si non compareat in iudicio eodem die, tunc debet proscribi et recompensa in sua hereditate iudicatur, et iudici sua pena. Et etiam nullus altius cogi potest cautionem facere fideiussoriam, quam se sua extendit recompensa, nisi sit pro debito, quod maius sit.

[hasła: skarga, zabójstwo, zranienie, uczieczka, prawo, sąd, zapłata, wynagrodzenie, dziedzictwo, spadek, kara sądowa, multa, poręczenie, zabezpieczenie, dług]

[101] De contentione et inculpatione diurnali vel nocturnali pro homicidio vel vulneribus.

Si casu contentio oritur clara die, si probus vir pro eo accusaretur, qui ibi visus non fuerat, de quo propior est evadere metseptimus cum hominibus fidedignis, qui presentes fuerunt, quam in eo duellum acquirere possit. Si autem super virum idoneum circa noctis tempestatem querimonia facta fuerit pro homicidio aut vulneribus duello dignis, que tempore noctis facta sunt, de quo propior evadet metseptimus cum hominibus bonitate probatis, circa quos tunc fuit, cum hoc factum perpetratum fuerit, ita quod sit de facto innocens.

[hasła: skarga, bliższość do dowodu, samosiódem, przysięga, współprzysiężnik, pojedynek sądowy, zabójstwo, zranienie, przestępstwo nocne, uwolnienie od skargi, niewinność]

[102] De petitione prolocutoris.

[^l] Quem vir pro advocate seu pro locutore rogaverit, hunc causam et verbum suum loqui oportet iure, nisi se excusaverit cum pena.

^l na marginesie odesłanie De quo supra folio c.

[hasła: pełnomocnik, prawo, kara]

[103] De bonis ad suppellectilem dominarum mortuo marito pertinentibus.

[k. 192] Et si quando moritur vir, tunc uxori oves dari et presentari debent ad suppellectilia, ubicunque ierint. Anete, colcidre, vela, tecture curuum, olle picte etiam ad suppellectilem pertinent.

[hasła: gerada, mąż, wdowa]

[104] De probatione incolatus.

Nemo potest nec pro homicidio, aut vulneribus, seu pro aliquo debito suo iuramento probare incolatum.

[hasła: zabójstwo, zranienie, poddany]

[105] De cive, qui exactionem non secundum iuramentum solvit.

Consules si iuramentum unius viri recipient, quod iuste secundum civitatis statuta et consuetudinem exactionem dedisset, tandem vero post mortem illius iurantis plura bona sub ipsius possessione fuerint inventa, quam per actionata fuissent, illa bona consules non habent recipere, sed ipsius defuncti heredes nisi quis heredum eadem denegata bona coram iudicio vel sedenti consilio recipere abrenunciasset, et tunc ipsa bona consulibus pro utilitate civitatis permanent quemadmodum arbitratur et laudum civitatis disponit.

[hasła: podatek, rajca, przysięga, statuty, zwyczaj, spadek]

[106] De iuramento iudicialiter ad praestandum premisso.

Ubi vir iuramentum promiserit coram iudicio pro enormibus verbis aut depilacione, vel verberibus, vel sanguinis effusione, de quo solitus dimitti non potest, nisi voluntas iudicis fuerit aut consensus. Actor etiam si reum pro iuramenti premissis causa Dei vel petitionis hominum proborum mitttere absolutum voluerit, extunc iudici etiam

competit ad hoc dare suam voluntatem. Et si suum consensum noluerit adhibere, tunc actorem iuramenta recipere oportebit, vel iudici demeretur in pena octo solidorum, et non plus pro causis singulis specialiter.

[hasła: przysięga, sąd, zniewaga, wola, zgoda, zranienie, powód, pozwany, sędzia, przysięga, mulkta]

[107] De pueris nondum annos discretionis habentibus et tutore parentibus.

Quando pupilli suum verum tutorem habere non poterint, tunc nullus ipsos ad aliquam iudiciale responsivam deducere potest, nisi prius ad annos discretionis seu pubertatis pervenerint.

[hasła: pupil, opiekun, lata sprawne, skarga]

[108] De eo, qui in alterius hereditate aliquid edificaverit.

Si vir super alterum conqueritur, quod sibi aliquid edificaverit de suis bonis aut hereditate, hoc ille possibilis obtinet, qui habet in possessione unica manu, nisi ipsum cum testimonio allocutus fuerit. Extunc possessor cum testibus servat, si voluerit.

[hasła: dobra, dziedzictwo, spadek, posiadanie, świadek]

[109] De non evocatione civium de iure civili ad quodcunque ius alienum.

[k. 192v] Quousque et quamdiu cives Meydenburgenses veram actionem aut responsivam tenuerint et se coram suo domino episcopo ac burgrabio ac sculteto ad iusticiam exhibuerit circa ius civitatis, tunc nemo eos extra civitatem in alio iure convenire et occupare, seu contra eos agere potest in iudicio alieno.

[hasła: mieszczanin, Magdeburg, burgrabia, właściwość sądowa, prawo miejskie]

[110] De impedimento coram iudicio non fiendo.

Nullus alterum impedire debet coram iudicio, postquam iudicium bannitum fuerit cum iniuria, talibus impedimentis, que ipsum impedire possint in sua querela, sicut clamore aut turpiloquiis, aut ceteris insolentiis. Si hoc contra iusticiam fecerit, et si patiens ipsum protestari poterit cum iudice et duobus scabinis, extunc suam acquirit emendam et iudex acquirit suam penam. Si contigerit in iudicio castellani, tunc tria talenta demeretur, et in iudicio sculteti octo solidos. Nam ubi actor suam emendam acquirit, ibi iudex suam penam acquirit.

[hasła: sąd wyłożony, skarga, przeszkode, sprawiedliwość, sędzia, ławnik, nawiązka, kara sądowa, mulkta, kasztelan]

[111] De pena sculteti nolentis alicui iusticiam ministrare nec querelas audire volentis.

Nunc attendatis super eo, si scultetus aliquem impedierit in sua querela et sibi iusticiam non fecerit, et hoc sibi iniuste recusat. Si pro eo coram castellano aut advocato impulsatus fuerit cum testibus, extunc ipsum cum testibus evadere oportet.

Cum qualicunque testimonio super iudicem querulatum fuerit, tali ipsum iudicem testimonio evadere oportebit, sive sint scabini aut alii astantes iudicio. Si autem hoc coram iudicio bannito actum fuerit, tunc melius vinci potest testibus iure, quam ipse cum testibus evadere possit. Si autem vir cedere voluerit testimonio et ipsum inculpare pro suo scitu, de hoc unica manu evadere possit.

Quando querimonia coram advocate super aliquem facta fuerit, pro hac causa respondere tenetur sine mora, ita quod ibi sit iudicium bannitum, quia ipsum oportet ibi esse presentem, nisi legale impedimentum ipsum occupaverit. Quod impedimentum statim probare oportet. Si hoc non ostenderit et non nominaverit, et hoc per iusticiam facere denegaverit se excusare de sua iniuria, quam exercuit, et se ad iusticiam exhibere [debet], extunc condemnatur advocate in decem talentis idem scultetus et illi suum debitum, de quo negavit, facere iusticiam, et medio quo ille non solvit solus, aut se iure excusaverit iudicio proximo, tunc amplius iudex esse non potest, nisi se ex hac culpa exemerit, secundum hoc ut est praemissum.

Si autem pro facto criminali, pro quo iudicium facere recusavit, sicut pro homicidio aut vulneribus, aut furto, aut spolio, aut ecclesie violentia, aut incendio, aut pro his similibus, que crimina capitalia tangunt, idem [k. 193] iudicium super eundem ire debet, quod super illum ire debuerat, pro eo nec recompensam, nec aliquid fieri potest, si in his vincitur, ut iuris est.

Si autem unus vir pro debito in captivitatem publicam presentatus fuerit ad tenendum iure, si ipsum ammiserit aut si evaserit absque sua culpa aut negligencia pro criminе, quod transit ad collum, pro eo solvet integrum recompensam et hoc ipsum iuramento probare oportet tacto sacramento, si sibi parcere noluerit, quod ipsum absque omni sua culpa ammiserit.

Integra autem recompensa facit decem et octo talenta, media recompensa facit novem talenta.

[hasła: sołtys, skarga, sprawiedliwość, przestępstwo sądowe, uwolnienie od skargi, ławnik sędzia, odpowiedzialność, przeszkode, świadek, wójt, skazanie, dług, wina, przestępstwo, kradzież, zranienie, zabójstwo, podpalenie, kara śmierci, zapłata, wynagrodzenie, przysięga, kościół]

[112] De iniusto iuditio advocati et de pena eius quomodoque proinde iudicari beat.

Nunc attendatur de advocate, si non iuste iudicaverit, cum sibi querulatur, et hoc propter amorem aut munera, aut ob aliquam causam dimittit, vel si solus noxam

fecerit iniustum, quam de iure facere non debuit, postquam ad iudicem electus sit ius confortare aut iniurias suffocare, seu debilitare. Si querela super ipsum in suo iudicio facta fuerit, tunc scultetus iudex esse debet super advacatum, seu super burgrarium, et per hoc cogitur cum sententiis, quod ante ipsum oportet respondere, ut in posterum patebit. Petat, quod advacatum seu burgrarium surgere per sententiam, quod super ipsum habeat querulari et sententialiter petat, ut alium ponat iudicem loco sui, quod ipsum facere oportet. Et tunc locet scultetum, qui sibi debet iudicare simili modo scultetus iudicet advacatum, seu burgrarium. Iccirco advacatus bannitum iudicium absque sculteto facere non potest, quia coram eo ad ius se debet exhibere, si super ipsum aliquis querulatur. Si hoc contra iusticiam anno et die recusaverit, extunc domino terre iudicium vacat, quod ab eo habuit, et regi bannum, si prosecutus fuerit cum veris sententiis.

[hasła: wójt, skarga, wyrok niesprawiedliwy, sołtys, sędzia, odpowiedzialność, sąd wyłożony, rok i dzień, termin, sąd królewski]

[113] De iudicio et probatione stupri et violentiarum.

Insidias, stupra et domorum irruentiam burgravius iudicat et nullus alter nec etiam scultetus. Si domorum irruentia probabitur, potest ostendi cum vulneribus et edificio vulnerato, si super hoc iudicem et homines, qui clamorem audierunt in testimonium, habere poterit, extunc ille sibi propior cum duello debet respondere, quam suo possit evadere iuramento.

[hasła: zasadzka, gwałt, napad na dom, burgravia, rana, sędzia, odpowiedzialność, pojedynek sądowy, przysięga]

[114] De captis in facinore manifesto, qua pena sunt puniendi.

Si aliquis alteri fecerit domorum irruentiam die ac nocte, et si ipse il/k. 193v/lum detinuerit in facto manifesto, et ipsum captivum cum clamore ad iudicium perduxerit, si super hoc clamatores habere poterit metseptimus suorum vicinorum, et si factum ostendi potest, ut iuris sit, illi ad collum transit. Si autem factum manifestum ostendi non potest, extunc iste propi[us] metseptimus, quam per eum vinci possit.

[hasła: napad na dom, przestępstwo nocne, przestępstwo za dnia, skarga, sąd, samosiódem, przysięga, współprzysiężnik, krewny, kara śmierci, prawo, gorący uczynek]

[115] De pena occasione concordie post querelam inite.

Et si vir suam querelam tenere promiserit, tandem vero tempore medio concordia facta fuerit, extunc pro eo non plus amor est evadere mittit, nisi iudici dat suam penam.

[hasła: skarga, ugoda, kara sądowa, multka, sędzia]

[116] De repetendo et probando debito post mortuam manum.

Si vir querulatur super alterum, quod pro suo patre teneatur, ipse debet super eo, ut iuris est, informari. Si autem voluerit iurare, quod pater suus hoc debitum persolvisset, hoc ipsum facere oportet metseptimus post mortuam manum. Si autem dixerit, quod hoc debitum solus persolverit, hoc mettercius iurabit heres. Si vero debitum sui patris recognoscit, hoc solvere debet, in quantum recepta hereditas se extendit. Et si solvere noluerit vel heres hoc consentire recusat, tunc sibi hereditas sua vel proprium potest iudicio possideri pro isto debito et acquiri, aliter ille non potest constringi ad vendendam hereditatem et proprium suum.

[hasła: skarga, dług, ojciec, prawo, zapłata, samosiódem, przysięga, współprzysiężnik, samotrzeć]

[117] De cane et quovis alio animali damnum faciente.

Si aliquis habuerit equum vel canem aut aliud pecus quicunque sit, quod loquela caret, si quoque hoc *s/* damnum et noxam fecerit, ipse vero cuius est eiusmodi animal dicit suum non esse damno perpetrato, istud sibi in suo iure non nocebit.

[hasła: koń, bydło, szkoda, prawo]

[118] De spoliatore concivium.

Si aliquis spoliaverit cives suos, qui proprium aut feodum aut hereditatem intra municipale habeat et si hoc faciat non prehabita ante dominum terre vel ante suum iudicem querela, illi sua edifica ab iudicari debent supra suam curiam et secari, et illa edifica erunt communia et omnibus hominibus publicantur. Si autem edifica iudicialiter fuerint ab iudicata, ita quod ibi puella aut femina fuerit stuprata intra illud edificium, etiam debet resecari et abinde nullas deduci.

[hasła: własność, lenno, dziedzictwo, mieszczanin, sędzia, budynek, konfiskata, kobieta, dziewczyna, gwałt]

[119] De iuramento Iudeorum contra Christianos.

Hoc est illud iudicium et illud iuramentum, cum quo aut per quod Iudeus iurare sive evadere debet Christianum, quod scriptum est in iure imperatorum. *[1]* Ipse debet verti contra solem seorsum et stare nudipes super unam sedem, clamide indutus et pile*/k.* *194*um Iudeicum *s/* habere debet super caput. Et si lapsus ter fuerit, totidem unum

fertonem ammittit. Et si quarto cadet, extunc manet reus in causa, tunc dicit ille, qui sibi predicit iuramentum: „Ego te moneo, N., Iudee, per has tres litteras et per hanc legem, quam Dominus dedit Moysi in tabula lapidea in monte Synai, quod iste liber aut hoc rodale verum sit et iustum, super quem tu N. tali nomine pro tali causa sive culpa pro qua te huc ad responcionem iure deduxit“. Et tunc debet sic iurare, et sic sibi predicetur: „Quod tu in hac causa reus non sis, qua te hic Cristianus inculpat, quod te Deus adiuvet. Idem Deus, qui fecit celum et terram, aerem et rorem, montes, valles, frondes, gramina et flores. Et si reus sis, quod te terra absorbeat, que Dathan et Abyron absorbuit, et si reus sis, quod te venenum, gutta, paralisis et lepra invadat, que precibus Elisei Naaman Syrum dimisit et Jesy invasit. Et si reus sis, quod te ignis comburet celestis et caducus morbus te invadat, et sanguinis fluxus. Et quod tibi accidat, ut uxori Loth, que transmutata fuit in statuam salis, dum Sodoma periit et Gomora. Et si reus sis, quod te pereas in tua anima et in tuo corpore et in tuis rebus, et si tu reus sis, quod ad sinum Abrahe non pervenias, et etiam ad resurrectionem nunquam pervenies, ubi Cristiani, Iudei et gentiles ante Creatorem omnium^a rerum resurgent. Et si tu reus sis, quod te lex deleat, quam Deus dedit Moysi in monte Synai, quam Deus scripsit digito supra tabulam lapideam, et etiam te confundat omnis^b scriptura, que scripta est in quinque libris Moysi. Et si tuum iuramentum non iustum nec mundum fuerit, quod te deleat Adonai et sue deitatis potentia“. Nunc omnes^c dicite amen.

^a ommium; ^b ommis; ^c omnes

¹ na marginesie: De quo super folio CLXIII

[hasła: przysięga, Żyd, Chrześcijanin, prawo cesarskie, Mojżesz, Synaj, powód, Sodoma, Gomora, Lot, Datan, Abiram, Elizeusz, Naaman, Jozue]

[120] De origine iuris municipalis et Saxonie.

Nunc placeat audire et intelligere, quomodo presens scriptum informat ex relatione veridica. Primo de Imperio, quomodo terre Saxonie ius suum ab initio fuerit constitutum et confirmatum in suo iure, sicut ab antiquo tempore Babilonia tenebat. Ibi stetit Imperium et regnabat potenter per omnia regna, quia Nemrot gentilis rex primo Babilonium edificavit in eaque innumerabiles ac altas munitiones posuit, unde hucusque in presens ius municipale nominatur. Et ibi erant manentes idem rex Nemroth ac duces multi et ceteri viri famosi, qui nunc mercatores nominantur, et omnes uno utebant iure, quod municipale ius appellabatur, ut bene in libro presenti patebit. Unde nomen sortiebatur absque qualibet transmutatione.

Nunc dicetur quamdiu stetit Imperium potencialiter absque permutacione usque Gretiam a tempore [k. 194v] Darii Secundi, aut ultimi, quem rex Alexander maximis et seditionis devicit bellis. Tunc transmutatum fuit Imperium a Babilonia et stetit in Constantinopoli usque ad illud tempus, quo se Roma de Imperio intromisit, et potenter obtinuit usque ad presens tempus ex parte beati Petri, qui caput est totius Christianitatis. Cum Imperium Romam versum non fuisse, ibi stetit, ut patet in

premissis. Tunc Cristiani absque iure fuerunt, idcirco quivis pro sua in terris faciebat voluntate, aut quid facere poterat et perficere, et hoc absque querela permansit et per iudicium inultum, quia nullum ius fuit, ubi quis iusticiam consequi posset, quid usque ad illud tempus perseverabat, quo se Roma de Imperio intromisit. Et ipsi subvenerunt et iusticiam consecuti fuerunt, et ibi exhibuerunt manus, unde pacem manu obtinuimus usque ad presens. Tunc Romani convenerunt et decreverunt deliberando, quomodo sibi regna subiugare possent. Et omnes unanimi consensu et pari concilio concordaverunt, quod edificarent castra in terris, unde sibi terras possent subiugare. Et cum hoc fecissent, tunc arbitrati sunt, quomodo castra confortarent, ut ipsis essent in iuvamen. Et illos acceperunt, qui nomen militare habuerunt, et eos super castra locaverunt cum tali iure, ut hucusque castrense ius tenet in castrensi feodo. Tunc quoque deliberaverunt, qualia iura terris statuerent et statuerunt tale ius in terris, quale adhuc terra Saxonie protestatur, per Constantimum et Karolum imperatores.

[hasła: cesarz, cesarstwo, Saksonia, Babilon, prawo miejskie, Grecja, Dariusz II, Konstantynopol, Aleksander Wielki, cesarstwo, św. Piotr, Cesarstwo Rzymskie, chrześcijaństwo, Chrześcijanin, sąd, Rzym, rzymianin, zamek, zgoda, rada, prawo, Saksonia, Konstantyn Wielki, Karol Wielki, książę]

[121] De autoritate imperatoris et iudicio eius, et ex quibus causis debet puniri, et quod omnium secularium iudicum ab eo potestas equ[al]e ac sacerdotum ab apostolico dependeat.

Nunc audire et intelligere potestis de principibus ac baronibus, et hiis omnibus, qui digne nomen militare sortiuntur, quomodo ipsi cum Romanis sunt arbitrati, quod scire vellent, quo iure Imperium deberet permanere. Et statuerint regi ius cum consilio, quod ipse sedem regiam Rome regere deberet ex parte beati Petri cum gladio seculari, unde adhuc advocatus Romanus appellatur. Iccirco vitam suam non potest demererri, nec in suo honore debilitari, nisi tribus de causis, que patebunt in sequentibus. Quarum prima est illa, si sedem Romanam destruere vellet. Secunda est, si contra fidem Katholicam vellet facere. Tertia est, si sine causa legali vellet suam dimittere legittimam uxorem. Quorum horum trium de una, *[k. 195]* si quod absit, fuerit convictus, extunc debet iudicari, nam decolari debeat cum aureo dolabro. Ideo quod secularem gladium habeat iudicandi super hos omnes, qui noxam et iniusticiam fecerunt, aut qui caput demerentur. Et insuper omnibus commisit, qui iudicis nomine censentur protegere viduas, pupillos, et domos Dei, et omnes iniurias humiliare et iusticiam confortare. Insuper iudicium commisit omnibus iudicibus temporalibus, sive secularibus, cum eo iudicare super omnes hos, qui in maleficiis deprehensi fuerint in facto manifesto, ad iudicium capti seu deducti et convicti fuerint, ut ius dictaverit. Ibi omnes iudices soli iudicare debent, vel preco loco ipsorum. Eodem modo ut iudices habent temporalem gladium a rege. Eodem modo sacerdotes habent spiritualem gladium ab Apostolico.

[hasła: cesarstwo, św. Piotr, Rzym, chrześcijaństwo, baron, miecz, katolik, wdowa, sprawiedliwość, gorący uczynek]

[122] De eo quis imperatorem iudicare debeat.

Nunc intendo attendatis, quis regem aut cesarem iudicare debeat, si ex hiis tribus premissis in uno convictus [fuerit]. Hoc facere debet Sacri Imperii Rhenensis palatinus, qui imperatori ac Imperio ex arbitrio et laudo positus fuerat. Tali modo, ut palatinus imperatorem debet iudicare, eodem modo iudicet burgravius marchionem pro suo excessu, et scultetus burgravium.

[palatyn reński, marchia, burgravia, sołtys, cesarz, król, lenno]

[123] De iurisdictione et iure per cesarem civitatibus et mercatoribus dato.

Tunc mercatores dicebant ad imperatorem, quod libenter scire vellent, in quo permanere possent. Et iudicavit ipsis imperator cum consilio Romanorum ad aquas navipotentes, quod edificarent sibi civitates firmas cum muris et turribus. Tunc populus dicebat ad imperatorem, quod libenter scire vellent, quo iure stare deberent.¹ Extunc imperator dedit ipsis tale ius, quale cottidie in sua curia solebat habere. Et hoc confirmavit eis cum consilio Romanorum et cum veridicis signis. Et suam manum exhibuit, quam apprehendit quidam mercator, et dexteram cirothecam de manu sibi depositus, super quo pax beati Petri ipsis confirmata fuit. Quod hucusque permanet in exemplum, ubi nove civitates edificantur aut fora, quod ibi crux ponitur super forum. In eo probatur et apparet, quod cum voluntate regis est factum. Sic ex quo municipale ius ab antiquo usque huc permansit et ab Imperio confirmatum nomen obtinuit usque ad diem presentem.

¹ na marginesie: Hoc ius civile est imperiale ius.

[hasła: kupiec, cesarz, rzymianin, św. Piotr, miasto, rynek, krzyż, wola, król]

[124] De fundatione Maydenburg et Hallisch. Et quod ad ipsas civitates indubiis sententiis ex certis provintiis recurritur.

[k. 195v] Nunc attendatis de civitate Meydemburgensi. Cum enim primo Meydemburg locata seu fundata fuit imperatoris Ottonis Magni consilio, et cum terre arbitrio, et fuit stabilita in suo iure, sicut nunc tenet in suo iure municipaliter secundum consuetudinem antiquorum, et Hallis civitas ex ea est fundata, idcirco utraque uno utitur iure. Eapropter omnes de Polonia et de Bohemia, qui sub iure Theutunico sunt locati et de marchia et de Misnensi provincia, et de marchia Lauziciensi, hii omnes ius suum Hallis recipere debent, et de civitatibus, que in hiis districtibus locate sunt. Et si sententiam ignoraverint aut defectum in ea habuerint, hanc oportet querere in Maydemburg. Idcirco, quia Maydemburg omne municipale ius protegit, quod iure terrestri fieri non potest, qui cum sententia reprobata de marchia ad comitatum trahi

potest, quia marchia secundum suum arbitrium aut propriam gratiam iudicat, quod comes non facit, sed iudicat sub banno regio. Hoc idem fit in omnibus civitatibus, ubi bannum est regium, quod vir demeretur tria talenta iudici feodato sub banno regio. Si autem iudicatur sub banno regio, tunc sculteto demerentur octo solidi de iudicio cum sententiis scabinorum. Idem fit burgravio. Scabini undecim esse debent, et scultetus sit duodecimus, quia burgravio primam sententiam diffinire debet. Quia burgravius nullum bannitum iudicium absque sculteto potest habere, nec scultetus absque hiis undecim scabinis in vero loco iudicali.

[hasła: miasto, Magdeburg, Otto Wielki, prawo niemieckie, zwyczaj, Halle, Polska, Czechy, Miśnia, Marchia Łużycka, wyrok, skarga, sąd królewski, sołtys, sędzia, ławnik, burgravia, sąd wyłożony]

[125] De ortilegiis civitatis Hallis in Maydemburg querendis.

Nunc attendatis de Hallis, ubi ius suum querere debent, si ipsum ignorant, aut si ipsis sententia fuerit reprobata. Hanc in Maydenburg querere debent et Maydemburgenses ipsis dare debent ante quattuor scamna et scabinis ipsorum ius dari debet, quia imposterum ipsis oportet esse testes, si necesse fuerit, quod sententia rite ac rationabiliter sit data absque qualibet contradictione. Et ibi nuncii presentes esse debent, ubi sententia diffinitur, ex utraque parte, ubi sententia fuit reprobata, qui audierunt et viderunt, quod utrius iusticia fiat. Et iudex ipsis in expensis procurare exeundo et redeundo. Si sententia sub banno regio fuerit reprobata, [k. 196] tunc debet reportari infra decem et octo hebdomadas. Si autem sub comitibus vel sub comitis banno reprobata fuerit, tunc reportari debet infra duas hebdomadas, quia scultetus habet bannum a comite et sculteciam a domino terre. Idem vero habet burgravius bannum a rege, et iudicium a domino.

[hasła: Halle, wyrok, Magdeburg, odwołanie, apelacja, ławnik, świadek, sprzeciw, sędzia, sąd królewski, termin, sołtys, burgravia, prawo]

[126] De inquisitione ortilegii et sententie civium Maydemburgensium.

Nunc attendendum est, si in Meydemburg reprobaretur sententia, quo aut ubi eam querere aut invenire deberent. Ipsi se debent trahere in Schartaviam, ultra Elbe, et ibi recipiunt quattuor seniores viros, quos poterint invenire ibi. Et hoc iccirco, quia diutius stetit, quam Maydemburg, et cesar Otto a tempore diurno ex eo constituit ducatum, et omnes uno et eodem iure sunt constricti. Tunc se trahunt cum eisdem quattuor senioribus, quos de Schartavia afferebant et redeunt Meydemburg ante pallatum ad curiam, que imperatoris Ruffi Ottonis fuerat, qui pallatum ipsis formaverat, in fine summi templi, ut in premissis patet et in sequentibus patebit, quia continue pro una sententia reprobata ad Imperium se trahere non potuerunt.

[hasła: Magdeburg, apelacja, odwołanie, Łaba, Schartau, starszy, cesarz, Otto Rudy, wyrok]

[127] De pallatia per quem modum ab imperatore Ottone in Schartavia fuerit constituta.

Nunc attendatis de pallatia, per quem modum ipse pallatiam fecerit. Vocavit eosdem quattuor seniores de Schartavia, et quattuor canonicos, qui habuerunt prelaturas in summo: primus prepositus, secundus decanus, tertius episcopi vicarius, quartus cancellarius. Insuper recepit quattuor barones et innatos ministeriales ecclesie maioris feodalis et Meydemburgensis: primus fuit marschalcus, secundus da/k. 196v/pifer, tercius pincerna, quartus camerarius. Insuper recepit undecim scabinos de civitate et scultetum duodecimum. Item recepit tres duces laicos, qui primi sunt in electione imperiali, et quartus, quem accepit supremus, fuit advocatus ecclesie maioris in Meydemburg, hoc est burgravius. Tunc imperator accepit eosdem viginti et octo viros prenotatos et super sedes ipsos locavit pallatie, et dedit eis potestatem ex parte sui, quecumque sententia in Maydemburg diffiniri non posset, aut reprobaretur, hec ibi deberet recipi, et quicquid ibi daretur hoc rite ac rationabiliter pro iure municipali teneri debet.

[hasła: palacja, cesarz, Schartau, kanonik, prepozyt, dziekan, zastępca biskupa, szafarz, prałatura, baron, Magdeburg, marszałek, stolnik, cześnik, podczaszy, szambelan, ławnik, burgrabia, kościół, prawo miejskie, odwołanie, apelacja, wyrok]

[128] De precio dando in iudicio pallatiae pro sententia diffinitiva.

Et cum sententia ante pallatiam data fuerit, tunc debet dari in signum his viginti octo viris, cuilibet unum solidum aureum, et quivis solidus debet valere duodecim solidos talis pecunie aut talium denariorum, cum quibus ibidem consuetudo fuerit forisare. Tunc hiis quattuor dantur iiiii marce auree, et quivis merca^a aurea duodecim marcas argenteas debet valere. Hoc datur hiis viginti octo viris. Hoc illi dare tenentur, quibus sententia ad profectum vel ad utilitatem fuerit inventa vel diffinita. Sed iste, qui in sententia diffinitiva defecerit solvere debet expensas. Si autem ille in sententia defecerit, qui eam reprobaverat, extunc solvere tenetur plusquam ille, cui sententia data fuerit ad profectum.

^a w druku merca

[hasła: palacja, wyrok]

[129] De eo quem plus dare oportet pro reprobatione sententie.

Nunc attendatur, quem plus dare oportet. Ipse dare tenetur illi scabino emendam suam, cuius sententiam reprobavit, quam invenit, si iuste fuerit diffinita, et iudici suam penam. Si autem ante consensum aliorum scabinorum fuerit reprobata sententiam, tunc cuilibet scabino datur emenda et iudici tocens sua pena. Si autem

ipsa in Hallis fuerit reprobata et in Maydeburg invenitur, et pariter ibidem reprobabitur, extunc ambe dabuntur emende et pene in Maydeburg ex Hallis, hoc fecit Ruffus rex Otto taliter pro eo, quod municipale ius sisteret, sicut ab antiquo tempore hucusque stetit, et ibidem fecit ducatum trans Albiam.

[hasła: ławnik, zadośćuczynienie, wyrok, apelacja, odwołanie, kara sądowa, mulkta, zgoda, Otto Rudy]

[130] De pallatia, quomodo convenire debet.

Nunc dicere vobis volo de pallatia, quomodo quando illa debeat convenire, et diffinire volo pro rebus istis, ut in precedentibus est predictum.

[hasła: palacja]

[131] [k. 197] De citatione pallatie, quomodo fieri debeat.

Scultetus de Maydemburg debet recipere litteram civitatis cum sigillo ipsius pendente. Hanc litteram debet mittre supremo advoco maioris ecclesie, hoc est burgravio in Maydenburg, ad quem suam propriam litteram sigillatam debet recipere, eapropter quod ipse est advocatus. Et adhuc debet recipere litteram episcopi cum suo sigillo, et etiam adhuc debet recipere litteram regis, et suum sigillum appendens, si ipsum habere possit in Theutonico. Has quinque litteras debet recipere burgravius de Maydenburg. Et eas primo mittre debet duci Saxonie cum iis, qui se cum sententia traxerunt, et cum scitu horum xxviii virorum, qui prius sunt nominati. Post hoc mittre debet margravio de Brandenburg. Tertio ipse mittre debet palatino Renensi. Hii tres primi duces laici sunt in electione imperiali, cum novus rex eligitur Theutonica de terra.

[hasła: sołtys, Magdeburg, margrabia, palatyn reński, Brandenburg, dokument]

[132] De hiis, qui citati non comparent coram pallatia, quid demerentur.

Hic intelligere et audire potestis, quomodo hii omnes domini debent cittari, qui in premissis sunt nominati. Ipsi ad pallatiam ire debent et scultetus burgravium cittare debet primo, secundo, tertio, semper ad sex hebdomadas. Et si in tercia non comparuerit cittatione, extunc tres laici duces mittunt. Tunc regi de qualibet cittatione tres marcas aureas demeretur, quarum quelibet marca aurea xii marcas argenteas debet valere. Et si post has ultra sex septimanas non comparuerit, se coram rege excusare, ubi ipse fuerit. Extunc omnia sententialiter ecclesie maiori vacabunt, qui ab eo habebat et regi bannum vacabat, et post hoc proscribunt eum in regis illegalitatem.

[hasła: pozew, palacja, burgravia, sąd]

[133] De tribus ducibus Imperii Romani electoribus, quomodo cittari debeant ad pallaciam.

Eodem modo sicut scultetus cittat burgravium. Sic burgravius cittare debet hos tres principes sub banno regio. Et si in tercia cittatione non comparuerint, ut est predictum, extunc quivis eorum de qualibet cittatione decem et octo marcas^a aureas regi demeretur, quarum quelibet marca^b aurea xii marcas^a argenteas debet valere. Etsi non eadem vice comparuerint iusticiam iuvare et ius recipere, attamen illi sua sententia diffinire debet et ipse suum ius dare debet ante pallatiam.

Finis primi Libri.

^a w druku mercas; ^b w druku merca

[hasła: sołtys, burgravia, sąd, król, pozew]